MATERIA MEDICA BOTANICA;

IN QUA

SYMPTOMATA VARIORUM MORBORUM DESCRIBUNTUR,

HERBÆque iisdem depellendis aptissimæ

APPONUNTUR,

Tam quæ in nostris hic sponte Oris, quam quæ in aliis Orbis Regionibus nascuntur:

PLANTÆ EXOTICÆ, sive ALIENIGENÆ, numero plùs quadringentæ quantùm ad omnes partes ex peritissimis Botanices Authoribus, ut RAIO, TOURNEFORTIO, &c. accuratissimè describuntur.

Variæ EPISODIÆ, ornatûs causâ, intertexuntur.

Octingentis, præter propter, carminibus Latinis Hexametris totum Opus constat.

Scire potestates Herbarum, usumque Medendi
Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Virg. Æneid. 12. ℣. 396.

Authore G. KNOWLES.

LONDINI:

Typis GUIL. BOWYER: Prostant apud GUIL. LEWIS Bibliopolam in vico dicto *Russel-Street, Covent-Garden.* MDCCXXIII.

NAMES of the SUBSCRIBERS.

A.

THE *Rev. Mr.* George Arnet.

B.

Hon. Peter Bathurſt, *Eſq*;
Sir Henry Bedingfeild, *Bart.*
Charles Bale, *M. D.*
Patrick Blair, *M. D. for* 6 *Books.*
Brown, *M. D.*
Henry Bedingfeild, *Eſq*; *for* 2 *Books.*
Philip Bell, *Eſq*;
Edward Blunt, *Eſq*;
William Bond, *Eſq*;
John Bright *of* Badgeworth, *Eſq*;
Mr. William Baniſter.
Mr. Brown.
Mr. Blakey.
Mr. Francis Bruning.
Mr. Booth, *for* 2 *Books.*
Richard Boſtock, *M. D.*
Mr. James Brecknock.
—— Baye, *M. D. of* Bath.

C.

His Grace the Abp. of Canterbury.
The Right Honorable the Earl of Clarendon.
Sir Marmaduke Conſtable, *Bart.*
Hugh Chamberlain, *M. D.*
William Cockburn, *M. D.*
—— Coates, *M. D. at* Pontefract *in* Yorkſhire.
Richard Cantillon, *Eſq*; 2 *Books.*
Francis Cottington, *Eſq*;
Ralph Crathorn, *Eſq*;
Henry Curwen, *Eſq*;
—— Clutterbuck, *Eſq*;
Mr. James Crathorn.
The Hon. Cutbert Conſtable, *Eſq*;
Mr. Carter.
The Reverend Mr. Clark.
Mr. Cratho n.
The Hon. Mrs. Elizabeth Crathorn.

D.

James Douglaſs, *M. D. for* 2 *Books.*
Mr. Richard Dyer.
Mr. Alban Dawney.
Mr. Davis.
Mr. Dawliſon, *for* 2 *Books.*
Montague-Gerard Drake, *Eſq*;

E.

James Eyre, *M. D.*
Charles Eyſton, *Eſq*; *of* Eaſt Hendred.

F.

The Right Honorable the Lord Viſcount Faulconberg.
—— Fitz-Gerald, *M. D.*
John Friend, *M. D.*
The Hon. Charles Fairfax, *Eſq*;
The Reverend Mr. Froggot.
Mr. Lodwick Fenwick.
Mr. William Fenwick.
Mr. Fairfax.
—— Fermour, *Eſq*;
Mr. Fitzwilliams.
The Reverend Mr. Foſter.

G.

The Honorable Colonel Guiſe.
William Gibbons, *M. D.*
John Gorman, *M. D.*
Charles Goodwin, *M. D.*
John Green, *M. D.*

Francis

Francis Guibon, *M. D.*
James Graham, *M. D.*
Robert Gray, *M. D.*
Edward Gaſcoigne, *Eſq*;
Mr. Greenwood.

H.

Sir Carnaby Haggerſton, *Bart.*
—— Hepburn, *M. D. of* Lynn *in* Norfolk.
Francis Hungate, *M. D.*
Henry Hudleſtone, *M. D.*
Mr. Tho. Hearn.
Mr. Hardcaſtle.
Mr. Hudſon.

I.

The Right Hon. the Earl of Iſlay.
Mr. Henry Jernegan.
James Joye, *Eſq*;
Thomas Jett, *Eſq*;
Charles Jernegan, *M. D.*
Mrs. Henrietta Ingleby.

K.

The Right Honorable the Earl of Kinnoul.
Robert Knap, *M. D.*
James Keith, *M. D.*
Anthony Kemp, *Eſq*;
Henry Knollys, *Eſq*;

L.

The Right Hon. the Lord Langdale.
The Right Honorable the Earl of Litchfield.
The Right Reverend the Lord Biſhop of Lincoln.
Henry Levet, *M. D.*
Thomas Lewis, *M. D.*
Eraſmus Lewis, *Eſq*;
John Lang, *Eſq*;
Mr. Lodington *of* Bracebridge.
Mr. Lacy.
Philip Langdale, *Eſq*;
Mr. Abraham Lehn *of* Copenhague.

M.

The Right Honorable the Lord Viſcount Molineux.
Sir Richard Moor *of* Fawley, *Bart.*
Richard Mead, *M. D. 6 Books.*
Dr. John Burchard Menckenius.
—— Morland, *M. D.*
Zachary Moor, *Eſq*;
Thomas Moor, *Eſq*;
Mr. Francis Moor.
Mr. B. Moor.
Mr. Thomas Metcalf.
The Reverend Mr. Midgeley.
Mr. James Mather.
Mr. John Malpas.
Charles Moſs, *M. D.*

N.

The Right Honorable the Lord Newbourg.
Henry Nevill, *Eſq*; *of* Holt.
Gery Norris, *Eſq*;

O.

—— Offley, *M. D.*
—— Owen, *M. D.* Elm-Court.
Mr. Ralph Oard.
—— Owen, *M. D. of* Red-Croſs-Street.

P.

The Right Honorable the Earl of Pembroke.
The Right Hon. the Lady Petre.
James Paſton, *M. D.*
—— Preſcot, *M. D.*
—— Purcerlin, *M. D.*
Samuel Peak, *M. D.*
Alexander Pope, *Eſq*;
—— Pridgean, *Eſq*;
Major Pack.
Robert Plumbton, *Eſq*;
Mr. Pullein.
Mr. Philips.

R.

Tanckred Robinſon, *M. D.*
William Rutty, *M. D.*
Tho. Rawlinſon, *Eſq*;
Tho. Rookwood, *Eſq*;
Mr. Richardſon, *for 6 Books.*
Mr. Richards.
Mr. Rookby.
Mr. George Riddel.

John

John Ratcliffe, *M. D.*
Mr. Joſeph Rolf.

S.

The Right Honorable the Earl of Stafford.
The Hon. John Stourton, *Eſq*;
The Hon. William Stourton, *Eſq*;
Sir Hans Sloane, *M. D.*
William Smithſon, *M. D.*
—— Sewell, *M. D.*
William Sheldon, *Eſq*;
Conrade Joachim Springel, *M. D.*
Eugene Steele, *Eſq*;
The Hon. Sir John Stanley.
Sir Charles Sidley, *Bart.*
Alexander Stewart, *M. D.*
Mr. John Southcote.
Mr. Smithers.
The Rev. Mr. Patrick St. Clair.
Mr. William Shepheard.
Sir John Swinburn, *Bart.*

T.

Sir Thomas Tancred, *Bart.*
James Tasbrough, *M. D.*
—— Theobald, *M. D.*
John Talbot, *Eſq*; *of* Longford.
Henry Tasbrough, *Eſq*;
The Reverend Mr. Thompſon.
Mr. Tasbrough.
Mr. Thomas Thompſon.
Thomas Palmer, *Eſq*;

W.

The Right Reverend the Lord Biſhop of Winchester.
The Right Hon. the Lord Walgrave.
William Waggſtaffe, *M. D.*
The Reverend Dr. Welton.
Humphrey Wild, *Eſq*;
Hugh Wroteſly, *Eſq*;
John Wyburn, *Eſq*;
The Reverend Mr. Williams.
Mr. Thomas Warwick.
Mr. George Webb.
William Whitechurch, *Eſq*;
Mr. Watmough.
Mr. Wakefeild.
Mr. Wharton.
Thomas Wentworth, *Eſq*;

Y.

His Grace the Lord Archbiſhop of York.
Mr. York.

Errata in Materiâ Medicâ Botanicâ.

IN Epiſtol. Dedicat. L. 29. l. *auſus ſum.* In Præfat. l. 4. poſt portis, l. *quibus intromittantur hoſpites,* *& feneſtris,* &c. l. 41. l. *obganniant.* In Proœmio. ℣. 2, l. *Amiſſam.* ℣. 254, l. *tectus.* ℣. 284, l. *diſtinctaque.* ℣. 367, l. *Melite inſula paſſim Dives alit, paſſim gignitque Ægyptia tellus.* ℣. 426, l. *it.* ℣. 462, l. *Umbellæ.* ℣. 772, l. *Viti.* ℣. 900. l. *Myrobalanus.* ℣. 988. l. *nullo.* ℣. 1053. l. *Sociata.* ℣. 1086. l. *Tunicaque.* ℣. 1087. l. *Reginaque.* ℣. 1112. l. *Calaminta.* ℣. 1211. l. *recreent.* ℣. 1449. l. *ramis.* ℣. 1554. l. *faciei.* ℣. 1572. l. *Caprifoliumque.* ℣. 1627. l. *galeæ.* ℣. 1662. l. *Abſinthia.* ℣. 1825. l. *croceo.* ℣. 2041. l. *ſpolia.* ℣. 2048. l. *contacta.* ℣. 2078. l. *Tomento.* ℣. 2128. l. *Edenis.* ℣. 2133. l. *rubram.* ℣. 2179. l. *contacta.* ℣. 2463. l. *Meſpili.* ℣. 2622. l. *coronant.* ℣. 2742. l. *undis.* ℣. 2801. l. *muricum.* ℣. 2938. l. *raucis.* ℣. 3119. l. *coriaria.* ℣. 3538. l. *incocta.* ℣. 3573. l. *vulvaria.* ℣. 3574. l. *Ilithyia.* ℣. 3689. l. *Gallis.* ℣. 3743. dele ℣. *ſequentem.* ℣. 4063. l. *Meſpili.* ℣. 4390. l. *viridem.* ℣. 4525. l. *quærat.* ℣. 4673. *verſus octodecim ſequentes rejiciantur ad calcem libri.* ℣. 4808. l. *opacat.* ℣. 4809. l. *nomen.* ℣. 5066. l. *Prunellæ.* ℣. 5198 l. *ophrys.* ℣. 5455. l. *æſtivos.* ℣. 5463. l. *nam cum.* ℣. 6325. l. *decorè.* ℣. 6514. l. *qui.* ℣. 6680. l. *mucoſaque.* ℣. 6835. l. *Ananas.* ℣. 6787. l. *Celtem.* ℣. 7007. l. *Roſei.* ℣. 7050. l. *Bathonia* In Catalogo Plant. l. *Marvel of* Peru. *Arum Hederæ fol.* 4647. *Aſpera Smilax* 5897. *Ceratonia* 6864. *Craſſula Hiſpanica* 1616. *Elatine* 6955. *Melanoceraſus* 3546. *Negunda* 7326. *Verbaſcum* 6096. *Umbilicus Veneris* 1864.

Hæc Carmina inſerenda ſunt poſt verſum octavum.

TUQUE adeo imprimis Medicæ nova gloria gentis
MEDE fave, & facilis primis allabere coeptis.
Tu me Pieriæ primùm me credere rupi
Juſſiſti, increpitanſque Moras, animanſque timentem.
Acceptos gemini refero tibi luminis orbes
Poſt ſuperos: Sine te non florea prata tueri,
Vernantes nec Agros, placidi nec lumina Phœbi
Fas foret; in votis nec vita vel ipſa fuiſſet,
Quam traherem triſtem tanti Solaminis orbus:
Voſque alii (nec enim eſt omnes comprendere verſu,
Quamvis eximios, quamvis loca ſumma tenentes)
Hippocratis Coi, divini Patris Alumni
Florentes, plures veſtro ſi munere in annos
Vita fluit felix, & inania Tartara plangunt,
Devoto vobis dextri ſuccurrite vati.

Clariſſimo Doctiſſimoque viro

RICHARDO MEAD

Medicinæ Doctori.

INter Latinos poetas Æmilius Macer ſolus de Viribus Plantarum, ſtylo terſiſſimo cecinit: temporum vero injuria, deflenda ſane calamitas! funditus interiit; nec ulla vel minima fragmenta tanti viri ſuperſunt; nec unquam extitiſſe noviſſemus, niſi Ovidius illius meminiſſet. Non me latet quen-

dam Authorem Æmilii Macri nomine passim circumferri: Cujus opus, si non Plinius sæpe citatus, at stylus certe inconcinnus, Augustique ævo prorsus indignus, quo vixisse Macrum liquidissime ex Ovidii testimonio constat, adulterinum esse argueret, & a quodam incelebris nominis sciolo conscriptum. Ut hoc ergo damnum aliquo modo, quamvis tanto oneri impar, sarcirem, & alios doctiores ad tantum malum literis illatum melius pensandum animarem, admovi chartæ calamum; & rudi licet Minerva, hanc Materiam Medicam Botanicam cœpi componere: Cumque plures doctissimi viri, tam ex illustrissimo Medicorum Londinensi Collegio, quam ex ipsa Regia Societate per totum orbem celeberrima præter alios summæ Nobilitatis summæque Eruditionis viros, probare meum incœptum viderentur, largiterque pecunias sufficerent, in lucem publicam emittere ausus. Inter Mæcenates tu primus, &

gene-

generosissimus, author fuisti, ut typis mandarem. Sub cujus ergo nomine felicius prodire potest, quam sub tuo, qui mihi semper amicissimus innumera in me pro tua benevolentia suavissimisque moribus congessisti beneficia? Hæc si non agnoscerem, ingrati animi notam, quam pejus cane & angue odi, haud unquam delendam mihi inurerem. Quod lugubres ab oculis tenebræ amotæ fuerint, tuæ in Medicina peritiæ soli acceptum refero; ingenueque fateor me, absque te foret, in posterum vitam in tenebris, tristissimam fuisse tracturum. Agnosco memor gratusque auxilium, artemque ipso Æsculapio dignam; tibique hunc libellum, laborum primitias dico, consecroque; & spero te æqui bonique consulturum. Interim, ne occupatissimo sim molestus, breve hoc claudo epistolium, Deo Optimo Maximo precatus, ut diu Anglicano intersis populo, ut morbis malisque hic exortis possis pro tua

in genus humanum benevolentia, ſingularique in arte Medica doctrina remedia, ut ſemper ſoles, præſtantiſſima admovere. Vale, Vir Clariſſime; meque puta

Tui obſervantiſſimum

GILB. KNOWLES.

PRÆFATIO.

ITA nunc dierum invaluit consuetudo, ut si quis in publicum prodierit lectorem non præfatus, idem profectò eàdem operâ, ut lepidè alibi noster L'Estrange *observat, ædes amplissimas sinè portis, quibus amicum Phœbi lumen admittatur, extruxerit. Ut ergo mori tot retro sæculis recepto morem geram; paucis exponere non gravabor, quid me ad hoc opus aggrediendum impulerit, quamque* μέθοδον *per totum ejusdem decursum secutus sim. Quantum ad primum; innatus in Musas amor, quo à teneris annis mirè affectus sum, tum ardens plantarum cognoscendarum studium, quo juvenis accensus eram, fecerunt, ut me Botanicæ addicerem; cúmque per plures annos herbis indagandis, viribusque addiscendis operam dedissem, tandem hanc* Materiam Medicam Botanicam, *quamvìs tanto oneri ferendo sanè impar, conscribere statui: non tam, ut famam mihi indè aucuparer, quàm, ut lecta fortiùs memoriæ inculcarem, & secessûs agrestis tædia demulcerem, aliosque huic provinciæ exornandæ aptiores ad pulcherrimum utilissimumque opus animarem. Quantum ad secundum; ordo, quem servavi, est hujusmodi.*

modi. Imprimis morborum, quibus plerumque affligitur humanum genus, signa, causas, & symptomata, ut loquuntur Medici, ex Sydenhamo Medicæ artis peritissimo, Fulleri Pharmacopœiâ extemporaneâ, aliisque describere visum est, cùm ipse Medicinæ cognitionem mihi non arrogem; tum herbas unicuique morbo depellendo idoneas, ex probatissimis Botanicæ Authoribus, & præcipuè ex clarissimo viro Joanne Raio Regiæ Societatis socio, Botanicorum sui ævi facilè principe, collectas adjungo; si herbæ sint extraneæ, faciem totam ad amussim depingere conor. Cúmque etiam plurimi, quamvìs eruditione insignes, herbarum nomina Latina non intelligant (arti enim sunt propria), Anglis, in indice ad hoc designato, è regione positis explico. Hæc volui, candide lector, ne nescires. Non me latet nonnullos mihi vitio versuros, quòd pretiosas horas, utiliúsque, ut ipsi putant, expendendas, huic potiùs curioso, quàm gravioribus studiis animum adjecerim: Sed meminerint hi Zoili, omnibus non placere omnia, & unicuique artem unam præ reliquis arridere; consilii Horatiani recordentur; Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ. *Hor. de Arte Poeticâ,* ℣. 911. *Vidámque Episcopum Cremonensem, poetámque præclarissimum, cum illo sentire, cùm suadet, ut nihil aggrediaris, quod priùs animo ultro non arriserit. Obgannient hi, quantum voluerint, cùm ipsi planè otiosi vitam per silentium agant, muneribusque à Deo concessis miserè abutantur: Nihil moror hujusmodi hominum invidas querelas. Scio hæc, quæ culpant & levant studia, hominum sapientissimo, ut ex Sacrarum Litterarum monumentis cuivis patet, Salomoni non displicuisse. De quo sic quidam tersissimus ex gente nostrâ poeta ad clarissimum virum D. D. Paulum Herman, M. D. & Botanices Prof. Pub. Lugduni-Batavorum canit* *.

Talis per hortos ibat Ebraicos
Davidis Hæres; quem neque rustica

* Ed. Hannes, A.M. Ædis Christi Oxon. & eidem illustriss. Academiæ pub. Profess. Chymiæ.

Arbusta

PRÆFATIO.

Arbuſta mirari, nec herbas
Dedecuit ſuperis propinquum.
Hinc ille cedri nubibus inſitæ
Naturam, & apti lambere ceſpitem
Hyſſopi, & in campis quod uſquam eſt,
Egregius memoravit autor.
Fruſtra: labores non meritos mori
Oppreſſit ævo dura neceſſitas;
Culpâque majorum nepotes
Ingenio Salomonis alti
Dudum caremus; dum ſupereſt adhuc
Onuſtus annis turpis Anacreon, &c.

Si egregia hæc Salomonis ſcripta de Plantarum viribus ſuper-eſſent, nullis remedium morbis divinitus conceſſum deeſſet; & unaquæque regio malis ibidem crudele imperium exercentibus, herbas iiſdem debellandis aptiſſimas, & quas quotidie ignari pedibus protervis calcamus, abunde ſponte ſuâ ferret; nec fines, toto penitùs orbe diviſos, remedia quærendi gratiâ, peragrare cogeremur. Deſlenda ſanè æternis lacrymis calamitas! quòd hæc ſcripta ævo perpetuo digna, injuriâ temporum funditus interciderint, & ne minima vel fragmenta ad nos pervenerint. Non deerunt etiam qui me incuſent, quòd ſtrictis numeris, non oratione ſolùtâ utar. Sed iidem cavillatores ad tribunal ſuum rigidiſſimum Virgilium poetarum principem, quòd Georgica ſua metricè ſcripſerit, innumeroſque præclariſſimos vates citent. Vitio vertant Georgio Buchanano, quòd de Sphærâ; Scævolæ Sammarthano, quòd de Pædotrophiâ; Pontano, quòd de Stellis; Vidæ, quòd de Bombycibus, verſibus luſerint. Mihi certè nullatenus erit pudori tantorum virorum preſſiſſe veſtigia. Plures ſunt, qui legunt Virgilium, quàm Varronem, Palladium, & Columellam, quamvìs egregiè & ſtylo venuſtiſſimo de Re Ruſtica ſcribant: plures forſitan Authores, qui jam prorſus interierunt, & quorum vix extat me-

moria;

moria, tempora nostra attigissent, si carminum auxilio contra temporum injurias fulti fuissent. Nullam hinc gloriam venor; mihi sat erit candido lectori placere potuisse. Vale, amice lector; quódque sinè invidiâ impertio, sinè invidiâ fruere, & æqui, bonique consule. Quòd si hoc opusculum ex voto successerit, habeo præ manibus librum, qui Phytologia Britannica *inscriptus est, prælo jam aptum; aliumque inchoavi, cui titulus est* Phytologia extranea.

MATERIA MEDICA BOTANICA.

PROOEMIUM.

QUÆ ſævos abigant morbos, ægriſque ſalutem
Admiſſam reparent herbæ, quæ nomina cuique,
Quæ facies, (noſtris niſi ſit ſatis obvia terris)
Et quo ſponte ſolo ſurgant, quæ cauſa malorum,
Signaque ſint, canimus. Medicinæ inventor Apollo
Plantarumque potens, mecum miſeratus egenum
Humanum genus, aſpiret bonus; atque laborem
Decurrat; placidæ & veniant in vota Camœnæ.

ASTRINGENTIA.

ASTRINGUNT radix Acori, Biſtorta, Prunella,
Gnaphalium, Glaſtum, chirurgorumque Sophia,

Telephium, Mufcus, Plantago, Polygonumque,
Geranium, cortex Ulmi, Virga aurea, Quercûs
Frondes, & Glandes, Cupulæ, & Campanula livens,
Limonii femen, fylveftria Pruna, Equifetum,
Auricula & muris, Paftoris burfa, Pyrique
Agreftis fructus, Lunaria magna, minorque,
Immatura Rubi mora, & Fragaria, Lichen,
A nummoque trahens fibi Centimorbia nomen;
Argentina micans, Hedera & terreftris, amanfque
Tormentilla fuos tumulos, atque humida prata;
Oenanthe filis pendens, & Berberis acris,
Pentaque-quod-phyllon Græci dixere, frequenfque
Alchimilla plicis, fufum fiftenfque cruorem
Pimpinella, nucis cutis intima Caftaneæque,
Montes & gaudens Helianthemon inter apricos;
Sorbus, & aufteri Cerafi poma acria, quæque
Vifitur umbrofis paffim Diapenfia lucis;
Polygonumque, cui merito dedit Hernia nomen;
Mille nitens foliis, umbelliferifque corollis
Florida Achillea & medicis dilecta peritis;
Gallia flava comas, majoraque Symphyta, cœli
Scala potens, cujus radix impreffa figillo eft
Multiplici, & niveo flores velantur amictu;
Cognatum lolio gramenque, infufa & Oryza
Lacti, in quo filices repetiti viribus ignis
Fumofo ardentes expiravere tumultu:
Verbafci in dulci radix epota Falerno,
Mofchatæque nuces, mucofa Althæa marinis
Nata oris, vefcus Cyperus, Denfque leonis,
Oxalidis femen pratenfis, Lotus odora

Hortensis; multo quæ tincta est sanguine Virga,
Caulibus & nigris Adiantum, Urtica, Melissa,
Atque Sedum majus, Cornus & mascula; rami
Huic densi erumpunt, cortex est asper, in ore
Austerusque sapor; muscosi in vertice flores,
Qui fulvo certant auro, distant nec olivæ,
Ni jam poma rubrum traherent matura colorem,
Prædurum officulum circundat pulpa & acescens.
Myrtillus, Buxus Viburnaque lenta, marinum
Gnaphalium, Caryophyllata, Melissa molucca,
Æthereas cubitos caulis tres exit in auras,
Qui teres, & crassus, rubro tinctusque colore,
Concavus, in sulcos excurrens; genvaque plures
In ramos sparsum distinguunt crebra, per æqua
Intervalla locata; virent folia atque Melissæ
Æmula vulgari, magis aspra, incisa magisque.
Purpurei flores Lamio accessere, in acutam
Semina pyramidem surgunt candentia, radix
Lignea fulcitur fibris, moriturque quotannis.
Atque Hederæ flores Helicis, digitosque cruentans
Tangentûm formosa Coris: caulis teres illi,
Cœruleus color est foliis liventibus, arcto
Quæ caulem amplexu cingunt: velantur amictu
Flaventi floresque minutaque semina visûs
Penè aciem fugiunt: sylvis humentibus illa
Nascitur, incultæque placent umbracula Ericæ.
Ascyrum idem præstat, quod villis undique densis
Horrescit: tellus putris, crassæque paludes
Sunt natale solum; vix unquam tutus in illo
Constiteris, cautè fallitque vorago legentem

Sæpius: immerſus ſæpe implorabis amicas
Aſtantûmque manus, ſæpe excipiere cachinnis.
Floris forma tuba eſt; folium glomeratur in orbem.
Alcea vulgaris nec inutilis; utile ſemen
Criſpæ uvæ, ſpinis quæ horret denſiſſima acutis;
Immatura juvant & Mori candida poma,
Quæque rigent canis hirſuta Cydonia villis,
Carpino & eliciti latices: cognomine Græco
Hanc priſci dixere Oſtryn; dignata ſuperbis
Nunc hortis procerum, Phœbæos ſubmovet ignes,
Frigidaque implexi texunt umbracula rami:
Non ulmo diſpar facies huic; candida cortex
Palleſcit, foliis latitat ſemenque minutis:
Naſcitur hæc Cumbri placidas Edenis ad undas
Plurima, quà abruptis elato vertice ſaxis
Stat ſuffulta domus Corbeia, nomine Howardûm
Antiquo celebris; Conſtantinique beati
Quà cava cella ſonat, vociſque reſultat imago
Rupibus illiſa, & cæcis emiſſa cavernis;
Quà fluvio incumbunt & Warwicenſia prata.
Et Ciſti, quæ ſeſe Hypociſtis ſubjicit umbræ,
Aſtringit folium, ſemenque Lagopodis, hirtum
Atque Philanthropon, veſtes quod prætereuntûm
Arripiat, dictum; Lappago eſt dicta Latinis;
Et palmæ fructus majoris: plurima ſcabrum
Squama operit truncum, ſolumque in vertice ſummo
Æternum virides rami denſantur in unum;
In terram vergunt apices; huic, qualia arundo
Producit, folia, & longam formantur in uvam
Candentes flores, parvoque hærent pedicello.

Sentibus

Sentibus armatum Lyciumque; ſimillima Buxo
Eſt folii facies, ſpatium extenduntur in amplum
Tres minimùm cubitos rami; Piperi æmula grana,
Palleſcit cortex, radix in viſcera terræ
Prædura ingreditur, crebriſque anfractibus errat.
Nec minùs his fibras corrugat amica ſolutas,
In brevius cogens ſpatium, patuloſque meatus
Occludens cortex mali, quod Punica tellus
Producit: matris gignentis magna ſtatura
Non eſt; Idaliæ folia huic ſunt æmula Myrto,
Æternùmque virent, venæ, atque extrema rubeſcunt:
Sunt lenti rami, flori campanula forma eſt,
Pulchraque crenatum circùm ambit fimbria limbum;
Parva intus folia, ardenti quæ murice ſplendent;
Poma huic ſuccedunt, quæ craſſo cortice amicta;
Pars, quæ viſa, rubet, croceoque eſt concolor auro,
Quæ latet; innumeris turgeſcunt more favorum
Diſpoſitis acinis, ambit, quæ pulpa palato
Grata placet; vino ſuccus certârit Ibero.
Aſtringunt flores, quæ dicta Balauſtia Græcis,
Lentiſci & lacrymæ, redolentia cinnama, fundunt
Quas Phaethontiades guttas, Corallia & imo
Nata mari, Jovis & quæ creſcit in arbore Galla,
Quæ rubuere Roſæ, ſanguis dictuſque Draconis:
Hunc arbor fundens æſtivis menſibus, alta
Sex cubitos ſurgit, truncuſque eſt craſſus, opacâ
Fronde carent rami, ſolumque in vertice ſummo
Congeries foliorum agmen denſantur in unum,
Ter ſex in digitos quæ ſunt porrecta, patentque
Latæ unum tantùm, mucroneque ſurgit acuto

Atte-

Attenuatus apex, mediamque ut in Iride craſſa
Coſta premit partem, fructûſque figura rotunda eſt,
Aureus atque color, nucleus nec Dactylo abhorret;
Concreti latices rubrum traxere colorem.
PROFUERINT Pini cortexque virentis, Arecæ
Et varius fructus, Vaccinia flore rubenti,
Urceoli in morem facto, radix & Acanthi
Candentis nigra, & ſpinis Paliurus acutis,
Pomaque Guayavæ flaventia, gramina flore
Parnaſſi niveo, redolentia Caryophylla,
Atque Aphaca; huic caules graciles ſunt, genvaque crebra
Diſtinguunt paſſim, latè ſerpendo vagatur;
Palleſcens viror eſt foliis, ſunt binaque in omni
Articulo, quæ adverſa ſibi; Convolvuli & illis
Eſt facies minimi, ex imis enaſcitur alis
Capreolus, ſeſe quo fulcit, & obvia quæque,
Ne cadat, apprendit; oritur pedicellus & inde,
Qui digitum longus, ſummo flos unicus hæret
Luteus, in morem Piſi formatus, & illo
Succedit ſiliqua effœto, quæ ſemina ſena,
Vel ſeptem includit, quæ parvula; naſcitur arvis,
Rara aſt, quæ placidis Derventius alluit undis.
Juvere Aſpalathum, Veneri dilectaque Myrtus:
Arboris exigua eſt moles: tres ampliùs ulnas
Vix unquam tenues humilis ſtirps exit in auras:
Hinc lenti veniunt rami, multoque decore
Conſpicui, cortexque tegit ſubfuſca, pudicæ
Sunt Daphnes folia, & viridis ſatis æmula Vincæ,
Trita manu ambroſios halant & olentia odores;
Vernantes inter frondes candore nivali

Exigui

Exigui emergunt flores; diſtant nec ab illis,
Quos fundit Ceraſus, niſi quod ſint mole minores;
Succedunt baccæ virides, demumque nigrantes:
Itala alit tellus, oræ genuere & Iberæ.
Rhus quoque contulerint, & Lens majorque, minorque,
Quaſque nuces Tribulus ſtagni tardi incola præbet,
Atque infuſa mero pulchri radix Hyacinthi:
Formoſus quondam puer hic ab Apolline cæſus,
Dum malè libratum projecit in aera diſcum.
In terram vergunt folia huic anguſta, rubenſque
Hæc inter caulis non unus ſurgit ab omni
Nudus parte, gravis flores in vertice odoris
Cœrulei veniunt, ſiliquæ ſubiere rotundæ,
His lapſis, nigro, & ſplendenti ſemine fœtæ;
Bulboſa eſt radix, mucoſo glutine pinguis.

ALEXIPHARMACA.

EN tibi mortiferis, quæ ſunt inimica, venenis,
Allium, & Angelicæ radix, Biſtorta, mariſque
Accola, quod ſiccas Eryngion inter arenas
Naſcitur, Helenium, Veronica, Diabolique
(Da veniam verbo) Morſus, quæque undique ſævis
Carlina horreſcit ſpinis, fulvoque colore
Tormentilla placens oculis, ſiſtenſque cruorem
Pimpinella ſuis ſuccis, Abſinthiā, Juglans,
Centauro & nomen debentia Centaurea,
Scordion, Hypericon, Scabioſaque, & Helleborine,
Mentaſtrum, Cyanuſque minor, Crocus, & Cruciata,
Cardiaca, & baccæ Sambuci, Juniperique,

Herba Paris, Penta-&-phyllon, Nymphæaque flore
Arridens niveo, nam lutea inepta putatur,
Oxalis, & Violæ flores, Bardana, & Erica,
Tota Bona, & ſemen Rapi, craſſaſque paludes
Sparganium affectans, adde & ſylveſtre Papaver:
Juncus odoratus, Arabum qui plurimus oris
Naſcitur; & prodeſt flavi ſemen Meliloti,
Phu minus, & Napus, mas Pæonis herba, & in arvis
Quæ Calamintha frequens, mordentis grana Sinapi,
Triſtis Ruta, Acinos; duris lac undique ramis
Ubertim fluit à læſis, prope amœna fluenta
Sponte venit Rhodani; vix illum vincit odore
Ocymon, huic latum molli lanugine tectum
Eſt folium: Thlaſpi mordens, Aſclepias alba,
Sunt folia huic Lauri, mucro ſed acutior illis,
Ordineque alterno veniunt, virgulta vireſcunt
Lenta, albent flores, radix & plurima fibris
Ingreditur terram; ſaxoſis montibus illa
Crebra oritur; croceo confert lanaſque colore
Luteola inficiens, Apiumque & Medica Mala,
Herbaque Vetonum, Clymenonque, Chamæpitys, altis
Antithora & quæ nata jugis: huic caulis in auras
Seſquipedem exurgit teres, & non pauca minuta
Huic folia emergunt, multumque inciſa, per æqua
Intervalla locata, nitent in vertice ſummo
Purpurei flores, radix geminæ inſtar Olivæ,
Baccarum facies nigra eſt externa, ſed albet
Interior; ſemen multùm juvat Iridis acris;
Æmula Dictamno quæ Fraxinella; Vienna
Hanc paſſim in ſylvis nutrit, juga proxima Rheno

Hanc

Hanc & alunt, vaſtoque patens Hungaria tractu,
Candiacumque Nemus; mille eſt hoc paſſibus urbe
Monſpelio bis ſex diſtans: non Fraxino abhorret,
Hincque illi privum nomen tribuere minores:
Caulis ei teres eſt, nodis diſtinctus; amœnâ
Fronte rubent flores, gratum ſpirant & odorem,
Jam matura nigrent & ſemina: ſaxifragæque
Juverit & radix, quæ Pimpinella vocatur,
Et redolens Nardus, quam Ganges mittit, & Indus,
Biſtortæ folioque Dracunculus, utile ſemen
Urticæ urentis, collectæ ex ſubere Glandes,
Herculei creſcens prope magnam nominis urbem
Origanum, auctores priſci dixere Cunilam:
Cuique Ariſto-olim nomen poſuere-lochiam
Graiugenæ, haud longâ, ſed quæ radice rotundâ:
Luteolæ flores Calthæ juvere, Dracontî
Guttati & latices; in pinguem cocta ſyrupum
Praſſia, Porcinus paniſque, Aſtrantia odora,
Mas Eupatorium, redolens, atque aſpera Smilax,
Eryſimi potus ſuccus, ſpinis Paliurus
Armatus crebris: rivos & amans Petaſites,
Artemidiſque herbæ, nivei radixque Phalangî,
Et Paphiæ dilecta Deæ pulcherrima Myrtus,
Herculeæ ſemen Panacis, Calamus redolenſque,
Sylvarum avia amans Monophyllon, Amaracus hortis
Obvius, atque Aloes Lignum, terriſque marinis
Tripolium naſcens, triſtiſque Chamæcypariſſus,
Hellebori radix albi, Ficus, Benedictus
Carduus, atque Sedi ſuccus, cui pocula Bacchi
Miſta unà fuerint; ſummis hærentia virgis

Et Zizyphi folia albentis cum melle tenaci
Contuſa : eſt arbos ingentis molis, opacant
Diffuſa & latè ramorum brachia ; lenta
Hinc virgulta fluunt, frondes ſunt ſorbi & agreſtis,
In morem ſtellæ flores naſcuntur, & illis
Cœruleus color eſt, media inter ſtamina parvus
Emergitque calyx, fructuſque putamine textus,
Vergenti in fuſcum flavo, ſuccedit ; amarus
Eſtque ſapor ; Venetis venit feliciter oris.

AMBUSTA.

SI quem fortè furens violenti læſerit ignis
Ardor, & infandum patiantur membra dolorem ;
Hæc in ſubſidium venient : cutis intima olentis
Sambuci, Filicis radix contuſa, Liguſtrum,
Albi Verbaſci flores, queis flamma calorque
Elicuit medicas lymphas, ſuccuſque virentis
Solani, parvique Sedi, pinguis Tiliæque,
Et Pini cortex contritus, Galli & acerbi
Auricomi flores, humilis cincreſque Myricæ,
Ciſtus, & agreſtis Mali ſylveſtria poma ;
Ilex, in ventrem creſcenſque Cucurbita, Acanthi
Et folia, & radix, & longâ Populus umbrâ.
Contulerintque Typhæ flores, (colit illa paludes)
Queis porcinus adeps fuerit commiſtus, amanſque
Rudera Hyoſcyamus, pallenti & Seſama grano,
His Milii caulis, ſed multò craſſior, altus
Atque magìs, rubro folia huic infecta colore
In ſummo capite apparent, cereale Papaver

Qualia habet ſuffulta Thymo Cuſculaque prodeſt,
Atque Hederæ flores Helicis, Spina albaque dictus
Carduus, & Porrum, ſiccis lacrymaſque frequentes
Cæpe ciens oculis, Serpentis Lingua, tumentes
In folii nulli ſunt nervi corpore, lævis,
Et plana eſt facies, pratiſque humentibus illa
Crebra venit: juvere & poma domeſtica, Nuxque
Dicta Metella juvat, vulgari voce minores
Stramonium vocitant; Solani huic æmula olentis
Eſt facies folii, ſolo diſtinctæ & odore,
Quóque refert opium, quales convolvulo & illi
Sunt nivei flores, exæquant Meſpila poma
Mole, ſed hirſutis horreſcunt undique ſpinis,
Mandragoræ eſt ſemen. Radices Lilii odori,
Cum ſale Lactuca, & ſuccus, quem Primula veris
Dat cum oleo Lini commiſtus, olens Cynogloſſon,
Atque Chamæciſſos, Plantago & aquatica, ſiccis
Verbaſca aggeribus venientia; ſemina mali,
Cui Cydon impoſuit nomen, contuſa; virentis
Tabaci Succus, Bardana & major, odora
Pomaque Balſamines, humano ex ubere lacti
Sylveſtris ſuccus Lactucæ miſtus, opacæ
Et Platani fructus, Androſæmumque cruentum,
Phillyreæ & frondes nigris creſcentis in umbris,
Verbaſcum, fruticis quod ſurgit mole, Superbum
Matthioli, huic rami multâ lanugine cani,
Duritie ligno poſſint contendere, canis
Et folia ad tactum velantur mollia villis,
Salviæ & his facies, congeſti in vertice ſummo

Sunt denſè crocei flores, Lamii inſtar hiantes,
Telephi & herba juvat, qui vulnere claudus Achillis.

ANGINA.

SI quando vexet fauces angina tumentes,
Hæc tibi profuerint: Fragaria pallida in umbris,
Campana, & Fungus, Sambuci agreſte Papaver,
Et Ribis nigri fructus, Prunella, Sedique
Majoris ſuccus, Succiſa, Paludapiumque,
Semina profuerint Aquilegiæ, amara Geniſta,
Elicitique Sedo latices, Cancri fluviales
Queis ſunt infuſi, radix & ſicca Pyrethri,
In morem Dauci folia huic inciſa profundè,
Tenvia, multiplices uno de ſtipite caules
Emergunt dodrantem alti, denſis umbellis
Conferti nivei cernuntur vertice flores,
Queis nitet in medio fundus, qui concolor auro,
Conditur atque imæ radix in viſcera terræ,
Longa, nec obliquè ſe ſpargit, rectus at illi
Curſus, & obſcuris graditur ſecura tenebris.
Aurea virga juvat, triplici diſtincta colore
Quæ Viola eſt, dulcique placens Glycyrhiza ſapore,
Crebraque litoribus quæ Eryngia nata marinis,
Interior cortex Ulmi, Plantago minorque,
Myrrha, Piper longum, Balauſtia, Salvia, flores
Qui rubuere Roſæ, ſemenque Papaveris albi,
Semen Hyoſcyami, Cochlearia fervida, olenſque
Hyſſopus, magno Satureïa dicta Maroni
Thymbra, Thymum, Rubus Idæus, collectaque parvis

Serpylla è tumulis, letho celebrataque amantûm
Morus, Betonicæ pulvis, nomenque columbis
Geranium debens, erectaque Pſyllia, & Aſter,
Quem Maro curva docet naſci prope flumina Mellæ;
Sanguineis Ebulum baccis; his ſæpius ora
Prolue, & immani venient medicina dolori.
Lini cocta juvant affectæ admotaque parti
Semina, pingui oleo quæ miſta, & pulveri Aniſi,
Agricolis cibus & Porrum, radix Calaminthæ,
Pix liquida, & Cedrus, Rha Ponti, Abſinthia melli
Et nitro commiſta placent, & ſemina Anethi,
A foliis nudi, Sparti Latices & Iberi,
Et Violæ ſiccæ, Coriandri ſemina odori,
Carum, lacte fluens Campanula, miſtaque triſtis
Atque Aloe melli vinoque, Synanchica dicta
Et Rubia; incurva eſt radix, pars extima nigret,
Interior crocea eſt, detractâ pelle nivali
Candore eſt lignum, digitos ſex longa, feracis
Conditur in terræ gremium, donata capillis
Crebris; hinc caules ſurgunt plures tetragoni,
Fuſi & humi paſſim, radici proxima quæ pars
Oſtro ardet, folia huic ſunt, qualia Gallia fundunt,
Tenvia, acuta; rubent nunc flores vertice ſummo,
Nunc candent, nunc ſanguineo ſtria tincta colore
Diſtinguitque triplex, ingratus naribus illis
Eſt odor; his lapſis ſuccedunt grana rotunda:
Totis æſtivi floreſcit menſibus anni;
Eſt natale ſolum tellus crebrâ albida calce.
A ſcabie dicta & prodeſt Scabioſa domandâ.

ANODYNA.

HÆC fractum recreant corpus, ſedantque dolores:
Althææ radix, Meliloti, Telephiique
Et folia, & flores, Crocus aureus, & Cynogloſſum,
Atque Chamæmelon, Violæ, Malvæque ſalubres,
Sambuci flores, pallentis grana Cumini:
Rectus ei caulis ſpatium & porrectus in amplum,
Fœniculi huic folia & multò tamen illa minora
Floret in umbellis, congeſtaque ſemina plura
Supplevere vicem florum; vix candida ſummam
Ingreditur terram radix: dicta inſula paſſim
Dives alit, paſſim, paſſimque Ægyptia tellus,
Et loca quæ vicina mari: Lauri redolentis
Et baccæ juvere, juvantque Papaveris albi
Et capita, & ſemen, Solanaque frigida, Anethi
Semina, Hyoſcyamus, docti ſiliqua & Columellæ,
(Hanc Græcum veteres Fœnum dixere Latini)
Et ſemen Lini, Terebinthus, Camphora, flores
Spinæ albæ vino infuſi, quod conſita Rheni
Ad ripas vineta ferunt; oleumque Roſarum,
Lilii & albentis, repenſque Chamæpitys: illi
Parva Sedo folia haud multum diverſa minori,
Queis & odor Pini, flori color aureus, albus
Nonnunquam, radix candens, tenuiſque; libenter
Reſtibili venit illa ſolo. Rhæaſque Papaver
Contulit, & Gummi quod dictum eſt Tachamahacca,
Verbaſci floreſque ægro ſolatia præbent,
Hordea & in pinguem juverunt cocta ſyrupum,

Semina

Semina Lactucæ atque Opii ſylveſtris odore;
Proxima quæ terræ folia huic ſunt, fimbria cingit
Prætenuis, plagis ſunt ſumma inciſa profundis,
Octo pedes caulis nonnunquam ſurgit in auras,
Qui teres, atque amplus, ſupremo in vertice flores
Sunt crocei, quales Lactuca domeſtica fundit.
Semina ſuccedunt, quæ nigro infecta colore;
Planta frequens non eſt, felix Hantonia gignit.
Luteolæ proſunt Violæ, vertere vocantes
Has Arabes Keiri, dicunt Leucoïa Græci:
Sunt muri natale ſolum, & delubra vetuſta;
Toto anno pariunt flores, nec frigora brumæ
Invida fœcundis obſtant: & odora Triphylla
Contulerit, linique oleum, ſacrataque Divæ
Myrtus pulchra comas Cnidiæ, radixque Lyæo
Mandragoræ incocta, & latices, quos Palladis arbor
Dat pingues; ſalicis folia huic, ſed mole minora,
Et magìs anguſta, his facies, quæ prona vireſcit
Impensè, glaucâ caneſcit at altera fronde;
Conferti flores agmen denſantur in unum
Exigui, & candent, baccæ formantur in ovum,
Quæ primum viruere, venit cum firmior ætas,
Æthiopum color eſt, lapidi certaverit udum
Oſſiculum, varii pulcherrima pectinis illi
Eſt facies ligni, crebras atque undula venas
Diſtinguit paſſim; quamvis naſcatur in oris
Hiſpanis, Italis, Galliſque libenter; at illis
Optima natura eſt baccis, quas inſula mittit
Creta, & quæ Idæi veniunt de vertice montis:
Si procul undoſo mandetur ab æquore terræ,

Aut perit, aut nullus ſperandus ab arbore fœtus.
Nec multum tractu differt Oleaſter eodem
Exurgens, niſi quòd folia huic ſint mole minora,
Interdum & ſpinis caules armentur acutis,
Sit minor & fructus, multo aſt numeroſior, ætas
Vix unquam reddit maturum, oleumque vireſcit
Expreſſum è baccis, Græci cognomine dicunt
Omphacion, gratus guſtantis & eſt ſapor ore.
PROFUERINT latices, quos fundit Amygdala dulcis,
Et Tami radix, Ciſtus, quem voce Pelaſgâ
Graiugenæ Ledum vocitant; tres amplius ulnas
Altus & in cœlum ramis felicibus, illis
Subnigra eſt cortex, folia huic adverſa vireſcunt
Quæ ſibi, quà pronâ ſpectarunt ſydera parte,
Quà terram glaucâ, pallent candentia fronde,
Lata patent digitum, mucoſo glutine fœta,
Vere nitent primo, grati at vehementis odoris,
Ledanon hoc artis medicæ dixere periti;
Eſt color huic viridis, dextrâ molleſcit habendo,
Si bona natura eſt; Jovis incunabula jactans
Inſula alit, Paphiæ Veneri dilectaque Cyprus,
Hiſpana & multo juga quæ ſunt ſubdita Phœbo,
Frigoris impatiens boreales reſpuit oras.
Colligitur gummi, cum rubra canicula ſævit.

APOPLEXIA.

SÆPE caput tentat vertigo, ſæpe caduco
Quis cadit oppreſſus morbo, membriſque ſolutis
Exanimis jacet: hìc non ſuavè rubentia poma

Reſpu-

Refpuerim Cerafi, valet hìc & Primula veris,
Pæoniæ femen; quæ fub convallibus imis
Lilia nafcuntur, niveo ridentia flore,
Lutea Leucoïa, ambrofium fpirantia odorem,
Et Tiliæ florum latices, quos vi Paracelfus
Vulcani elicuit; Oenanthe & pendula filis,
Phu, Crocus, & Venerem ftimulans Eruca morantem,
Succifa, & Vifcus lentus, femenque Sinapi,
Oxymeli è fcillis: folia his funt pinguia plura,
Quæque aloen referant, elatus in aera caulis
Plus cubito furgit, pendent in vertice fummo
Purpurei flores: alit illas ora marina.
Coeruleo confert, viridifque Lavendula flore,
Et Pyrethri radix, quæ mifta eft melle tenaci,
Et ferrugineæ Violæ, Violæ & bicolores,
Hellebori radix albi, Rorifque marini
Pulvis, & Hyperico, latices, quos exprimit ignis,
Et Sefeli Æthiopum: folia huic oblonga minora
Atque hederæ foliis, crenatus & undique limbus
In ferræ morem; cubitos duo furgit in auras
Cauliculus crebris ramis oneratus, Anethi
Umbelli fimiles, maturaque femina nigra,
Granaque frumenti mole exæquantia; Nili
Incola nec folùm eft, Gallis & crefcit in oris
Ubertim. Cufcuta Thymo fuffulta, Chamædrys,
Betonicæ pulvis, Bugloffum, Salvia major,
Luteus atque After, majorque Conyza, & Ibera
Scorzonera, hilaranfque Borago, Bryonia nigra,
Populus atque albâ melior nigra, tortaque flammis
Carpinus, & Stœchas cognata Lavendulæ odoræ;

Eſt folii facies oblonga, & candida, ab unâ
Radice emergunt rami, denſiſſima ſylva,
Duritie ligno qui certent æmuli, olenti
Acceduntque thymo flores, quos purpura tingit,
Conferti in ſpicam: vicinæ Stœchades illam
Maſſiliæ inſulæ alunt, Arabum venit optima in oris.
Quod Peloponneſus Seſeli tulit, & juvat ægrum,
Qualia producit, folia huic, viroſa Cicuta.
Sphondylii juvat & ſemen, pulviſque Aſarinæ;
Serpit humi, atque Aſari in morem, glomeratur in orbem
Huic folium, quod non tractanti ita molle, ſupini
Velantur villis caules, in vertice ſummo
Suntque Chamæmeli flores, magè ſed redolentes,
Radices operit vix terra; Bohemia nutrit.
Et Caryophyllus grato adſit amicus odore.
Prosunt & Ferulæ lacrymæ, Colocynthis amara,
Perſicæ & è nucleis latices, quos elicit ignis,
Veſtita & niveâ proſunt Leucoïa veſte,
Naribus & gratum mittit quæ Aſtrantia odorem.

ARTHRITIS.

Si tardos arcus quatiat violenta Podagra;
Hæc facient, ſævo ut poſſis ſupereſſe labori,
Solamenque malo præbebunt: Braſſica, radix
Helenii, Hypericon, Sambucus, Primula veris,
Et purgans alvum Rhamnus, ſemenque Geniſtæ,
E nucleis Ceraſi pinguis, qui defluit, humor,
Et Pentaphylli radix, Scabioſa, Sedumque
Majus, Hyoſcyamus, Centaurea, Lenſque paluſtris,

Barbarea, & Caryophyllata, Chamæpitys, Ulmus,
Confolida & major, Ebulufque, Bryonia nigra,
Geranium, Erica & fterilis, canenfque Chamædrys,
Sylveftris minor & Bellis, fuccufque Elatines
Epotus, flores Verbafci, Mercurialis
Teftibus infamis nudis; Ficaria fœdo
A morbo nomen ducens, virofa Cicuta
Cum pingui limace diu contufa, & amica
Helxine muris, major Bardana Falerno
Infufa atque Afari radix, & Praffia nigra,
Nec minùs alba juvant. fedans capitifque dolores
Betonica, Erigeron, Podagraria, Caltha & agreftis,
Juniperus, croceo rutilantia Gallia flore
Sumpta Theæ in morem; quod candida Lilia vallis
Torta dabunt oleum, fubamaro atque Intyba fucco
Fœta, Urtica urens, commiftum Butyron acri
Lepidio, referenfque fabam multùm Menianthes,
Si folium fpectes; flos eft pulcherrimus olli,
Qui vincat candore nives, hunc plura minuta
Stamina componunt, crifpâ pubentia barbâ
Semina quæ includunt, funt vafcula penè rotunda,
Et binis hifcunt valvis, eft alveus unus,
Sunt & aquæ natale folum; fat candida prodeft
Et Vitis, vulgò quæ dicta Bryonia, Buxo
Expreffumque oleum, Terebinthus ftercore pinguis
Mifta columbino, fœtenti & Scordium odore,
Cæparum fucci, queis funt Pulegia mifta,
Cocta diu, atque Ari radix cum ftercore vaccæ
Trita rubræ, Ficus Fœni cum pulvere Græci
Contufi, Chinæ radix, & faccharo amicta

Jejuno ſtomacho Coriandri ſemina ſumpta,
Albeſcens tremulâ foliorum Populus umbrâ,
Incoctum vino repens Lycopodion albo,
Atque Cyclaminus, Lolium, contuſa Meliſſa
Cum ſale, littoribus quæ Corallina marinis
Naſcitur; eſt croceo, niveo nunc tincta colore,
Nunc & purpureo, ſub dentibus inſtar arenæ
Aſpra crepat duris. Prodeſt Cytiſuſque triphyllus:
Eſt fruticis parvi moles, exurgit in auras
Tres cubitos, ramis oneratur pluribus, illi
Trifolii folia, obſcuro quæ tincta virore,
Sunt crocei flores, nec forma aliena Geniſtæ eſt,
Succedunt ſiliquæ, quæ nigro ſemine fœtæ:
Hunc aluit primùm Cythnos, quæ Cycladas inter
Inſula, & hinc Italas primùm eſt advectus in oras,
Ubertimque libens venit hìc, capræque fugaces
Detondent avidè, Gallis & floret in agris;
Dicitur algenti nutrîſſe & Scotia tractu.
Lens minor & major juvere, Papavera aceto
Et perfuſa, Croco commiſta, & lacte recenti,
Uberibus preſſo humanis, Leucoïa, Rhamni
Et Cluſii fructus coctus ferventibus undis,
Arbor ſylveſtris Pruni eſt ſatìs æmula mole,
Nigra tegit cortex ramos, armantur acutis
Atque ipſi ſpinis, è nodis plurima longa
Emergunt folia, & quæ craſſa, anguſta, virentque
Egregiè, æternæ ſervantur in arbore frondes;
Eſt ſapor aſtringens, Rhei nec multùm alienus,
Vere novo erumpunt flores, viridis color illis
Dilute, referunt Pruni liventia Poma

Agreſtis

Agreſtis fructus: Granada, & Murcia nutrit,
Quà nulli incultam proſcindunt vomere terram
Agricolæ, & ſqualent abductis arva colonis.
Et Libano debens nomen, Libanotis odora
Profuerit, multum morboque reſiſtit acuto.
  PROFUERINT Ricini decoctaque ſemina pingui
In jure, atque Halimi frondes cum furfure miſtæ
Admotæque igni, calidis ſuppoſta favillis
Tabaci folia, & condita Athanaſia, odori
Trifoliique oleum, terris & nata marinis
Matthioli Androſace, ex Uvis confectaque paſſis
Emplaſtra, & medicas quas Hermodactylus edit
Radices dubius; mihi nec deſcribere promptum eſt,
In diverſa trahit doctas ſententia mentes.

ASTHMA.

DIFFICILI ſi ſingultu premit Aſthma, frequenſque
Spiritus attrahitur gemitu deductus ab alto:
Hæc ſtrictas laxant fibras, hæc ſanguinis æſtum
Compeſcunt, præbentque novas pulmonibus auras
Phlegmate ſtipatis: canentia Praſſia, Bellis,
Præcipuè major, Calamintha, Crocus, Scabioſa,
Arboribus paſſim creſcens Lichen, Petaſites,
A ſapone trahens ſibi Saponaria nomen,
Sonchus, & Urticæ ſemen, Verbaſcaque, filis
Oenanthe & pendens, & Pulmonaria, & Arum,
Origanum, Eryſimum, Periclymenon, atque Cati pes,
Quamque Ariſto-olim veteres dixere-lochiam,
Huic folia in cordis ſpeciem formata, colore

Ex viridi Glauco, caulem amplectentia, flores
E mediis foliorum alis naſcuntur odori,
Quique tubam parvam referant; hos purpura tingit
Impensè, vix mole nuces exæquat Abellæ,
Qui ſequitur fructus; radix craſſa, atque rotunda,
Cui color eſt Buxi, tetrumque exhalat odorem.
Bechion, & radix ſylveſtris Valerianæ.
Nec minùs hìc proſunt, crebrâ Polypodion alâ
Atque albæ Vitis radix, ſemenque Sinapi,
Tabaci in morem quæ ſumpta Chryſanthema, non quæ
Sponte inter ſegetes veniunt, ſed quæ Alpibus altis
Multifido Abrotani folio; ſemenque Nigellæ
Incoctum vino, Lauri baccæ redolentis
Contritæ, & melli miſtæ, Violæ tricolores,
Matthiolique Botrys: fœcunda eſt millibus illa
Seminibus; (Galli hinc nomen tribuere) rubeſcit,
Vixque pedem ſuperat caulis teres, undique crebros
Spargitur in ramos, fruticemque referre videtur,
Sunt folia huic multis rugis obducta, profundè
Inciſa, ad tactum quæ pinguia, tectaque villis
Exiguis, longum in ſpatium porrecta, frequenſque,
Confertum inque uvam granum, radixque tenella
Eſt fibris ſuffulta: ferunt ſqualentia arenâ
Arva infelici: prodeſtque à virgine ducens
Parthenium nomen, ſemenque Chamæcypariſſi,
Planta ſatìs nota eſt, Siculis & naſcitur oris
Sponte. Juvant repetita etiam decocta Tabaci,
Baccharis, Helenii radix, & Smyrnia magno
Dicta Dioſcoridi, ſiccæ admiſtumque Sabinæ
Butyron, ardenti Colocaſia miſſa Canopo,

(Arorum genus eſt) proſunt cum melle liquenti
Hyblæi decocta Thymi, foliis Coriandri
Nigra Adianta juvant incoctaque lacte recenti,
Abrotanum, Laricis fungus, radixque virentis
Angelicæ, Lacrymæ Ferulâ de matre cadentes.
Hordea nuda juvantque, *Meliſſa* Molucca: rubent huic
Qui teretes, caules, ſunt craſſi & concavi, aratque
Plurimus hos ſulcus, crebra internodia juſtas
In partes ſcindunt, ex his enata vireſcunt
Æmula Cardiacæ folia, calyceſque rigentes
Octo, vel ſeptem, tenui ſimiles membranæ,
Qui floris ſedes, candori purpura miſta
Tingit, & huic galeæ in morem flos fingitur; ætas
Cum matura venit, præbet ſemen Polygonum,
Imâ parte licèt pateat, tamen arctior illi
Pyramidis cuſpis tenuat faſtigia ſumma.
Centauri radix confert majoris, amara
Ruta, & Peucedanum, Rha Ponti, Guaiacumque,
Atque infuſa ſero quæ Anacardia, & Iris odora,
Solanique rubræ baccæ ſcandentis, Aniſi
Semina, & Hyſſopus, Cucumis latices Aſinini,
Piſtaciæque nuces, Seſelique, & Amygdala dulcis,
Incocta in vino radix Equiſeti, & Anethum,
Templorum muris hærens & Salvia vitæ,
Ægypti populis venerataque Cæpa, favillis
Sub calidis quæ toſta diu, Glycyrhiza, Chamædrys,
Luteus & fundit quæ ſemina Carthamus, Indæ
Mechoacan ſuccus, Dictamnum, Opobalſama; fundit
Arbor in Ægypti florens regione beatâ,
Æmula Lentiſci folia huic, ſemperque vireſcunt

Alatæ

Alatæ frondes, mucoſo glutine odora
Sudant ligna, rubro vulgò diluta colore,
Acaciæ niveo flores velantur amictu
Exigui, inque uno terni vulgò pedicello
Naſcuntur ſimul, eſt fructus ſimilis Terebinthi
Oriciæ, flavent redolentia ſemina, ſucco
Fulvo inſtar mellis turgent, triſtis ſapor ore.

CANCER.

ULcus edax Cancer miſeros depaſcitur artus?
Hæc tibi præſidio fuerint; Urtica, Elatine,
Filago, Eryſimum, Linaria, lethiferumque
Solanum, Epithymon, Petaſites, Lutea flava,
Carduus & niveæ referens bene vellera lanæ,
Contulerint Divo quæque herba eſt ſacra Jacobo,
Bardanæ radix, Plantago, Agrimonia campis
Obvia, foſſarum & ſiccis creberrima in oris,
Sambuci flores, flores Roriſque marini
Cœrulei, cortex Juglandis, maſcula Thura,
Oenanthes bulbi: folia huic compacta minutis
E foliis ſex ſunt, vel ſeptem, plurima crena
Et latera incidit, caulis teres, atque rotundus,
Vix cubitum ſuperat; candent in vertice flores
Diſpoſiti umbellæ in morem, ſtellam referentes,
Sunt vice radicis bulbi, ſunt ſquamea grana.
Huic natale ſolum, montes, jugaque aſpera ſaxis.
Nec tibi ſpernantur Veronica, Salvia, & udis
Scordia nata locis, Ficaria, nigraque radix
Verbaſci, atque oleum Buxi, cui Butyron unà

Admiſtum, Hellebori radix inciſa minutim,
Nigra vel alba fuat nullo diſcrimine habeto,
Fœniculi ſemen, dulcis ſemen Coriandri,
Gallii & auricomi flores, Aſplenia, Lignum
Guaiaci; fuſcis uſque huc defertur ab Indis,
Nota ſalus illis, Veneris quos ſæva venena
Læſerunt, ſacrámque luem ſparſere per artus
Sanguinis & ductus, cæcos penituſque receſſus
Corporis infectos: hanc Fracaſtorius olim
Laudibus in cœlum miris tulit, atque repoſta
Carminibus Phœbo dignis arcana recluſit,
Vates, atque idem medicâ celeberrimus arte:
Trunco abit in cœlum ſublimi, robora dura,
Impactæque aciem facilè edomitura ſecuris,
Lentiſci huic folia, perque intervalla locata
Æqua, ſibi juſto reſpondent ordine bina,
Flexilibus ramis oneratur, vertice ſummo
Sunt pentapetali flores; pereuntibus illis
Succedit fructus compreſſus, & æmulus oſtro,
Effigiem cordis referens latet oſſiculum intus
Prædurum. Proſunt Cynogloſſa & olentia, Ruta,
Helenium, majuſque Sedum, radix & Iberæ
Angelicæ, Lamium, Biſtortaque Virginiana,
Pavame Indorum, Lapathi radix & acuti,
Tormentilla humilis, radix & Sarſaparillæ;
Creſcit in obliquum radix huic, aſpera ſquamâ
Arenti, emergunt huic plurima lenta flagella
Juncorum in morem, multas porrectaque in ulnas,
Donata exiguis fibris, rubet obvia viſu
Quæ pars, interior candeſcit, glutinis inſtar

Eſt ſapor, & duri canâ lanugine tecti
Sunt caules, denſiſque horreſcunt undique ſpinis,
Sunt folia in ſpeciem cordis formata, patentque
Tres digitos, octo longa extenduntur, ab imo
Vena triplex folium percurrit, pronâ vireſcit
Quæ pars dilutè, ſatur eſt viror atque ſupinæ:
Capreoli duo conſtringunt vicina tenaci
Amplexu, densè flores glomerantur in unum.
Succedunt, virides primùm, demúmque rubentes
Rugoſæ baccæ, Ceraſis quæ mole tumeſcunt
Æquali: radiis loca ſubdita matutinis
Incolit, atque alio terras ſub ſole calentes,
Quas gravidas auro magnus mirâ arte Columbus
Detexit primus, tulerit licèt alter honorem,
Et genti indiderit proprio de nomine nomen.
Nec tibi diſpliceat, quâ cæcis lumina hirundo
Fœtibus impertit, Chelidonia lutea, & acris
Galanga; duplex genus eſt: májuſque, minuſque,
In medicos ſelectum uſus; eſt fuſcaque primæ
Ex rubro radix, digitum patet, actaque in orbes
Articulos referunt zonæ vel cingula, candet
Intus, & immani fauces exulcerat æſtu;
Plurima guſtanti madido fluit ore ſaliva,
Et folia & flores ſunt Iridis; uber & illam
Java dat, & Malabar Batavis habitata colonis.
Altera nec multùm diſpar; nodo articuloque
Horret inæqualis crebro, contortaque radix,
Nec medium craſſa eſt digitum, prædura, frequenſque
Vena ſecat paſſim, creſcitque Sinenſibus oris.
Contulit & Scabioſa pilis hirſuta, Maciſque,

Moſchatæ nucis eſt tegmen, terræque Corona,
Dicta Chamæciſſos, fuſæ de vulnere lentæ
Lentiſci lacrymæ, redolentia Caryophylla ;
Quæ tulit hæc arbor, lauro eſt ſatìs æmula forma ;
Inflexus truncuſque valens huic, ſeſquipedemque
Eſt craſſus, cortex non multùm diſtat Olivæ,
Diluteque rubent rami, qui brachia latè
Huc illuc tendunt, folia & ſunt laurea, craſſa,
Palmum longa, patent digitis vix lata duobus,
Lævia luceſcunt, ſummas crebra undula & oras
Intorquet criſpans, tenuantur utrinque in acutum
Mucronem, digitum longuſque illi pedicellus
Inſeritur nervo, medio qui limite ductus
In partes æquas folium ſecat, ilicet indè
Tranſverſæ ſparſim diſcurrunt undique fibræ
Ad limbum tenues, ramorum in vertice ſummo
Sunt roſei flores, confertique agmine denſo,
Sole indurati, qui Caryophylla vocantur:
Themata hanc Batava, & nigræ peperere Moluccæ.
Pimpinella minor majorque, nec ultima cura
Sit tibi Geranium, quod dicta eſt herba Roberti,
Quodque Heliotropium Graii dixere tricoccon,
Juverit, huic folium exiguum glomeratur in orbem,
Sunt ferruginei flores, & ſemina terna
In triplici latitant cellâ referentia fœdas
Verrucas, pulchrum præbent attrita colorem
Cœruleum, Cubebæ, Καρπήσια dicta Pelaſgis,
Lignum Aloes: arbor non multùm diſtat Olivæ,
Funduntur latè ramorum brachia, & æqua,
Quæ ſibi reſponſura, locata per intervalla,

Sunt folia in digiti ſpatium porrecta, patentque
Vix quartam digiti partem, tenuantur acutam
Utrinque inque aciem, tractanti & lævia lucent,
Gratus odorque illis; nec ſunt inamœna ſapore :
In partes folium nervus diſcriminat æquas,
Conferti umbellam flores denſantur in unam,
Illis ſuccedit fructus glomeratus in orbem,
Huic Malaga eſt natale ſolum celeberrima vino.
Profuerint Eleo-ſuccus cum melle-ſelini,
Juſque in quo coquitur Bacchi contraria vili
Braſſica, & hinc vini capiti depellere fumos
Semina creduntur; Cramben dixere Pelaſgi;
Argema luminibus, bene contulit Argemone,
Quæ tollit; folia atque Aſari, Tribulique paluſtres,
Et Campana medens anginæ, & amica vetuſtis
Quæ Viola è ſaxis, croceo ſaturata colore;
Quod ſegetum peſtis, juvit Loliique farina.

CARDIACA.

SUBSULTENT tremulo tibi ſi præcordia motu,
Vitaleſque malum partes premat, auſpice Phœbo
Herbarum vires, doctaſque Machaonis artes
Tempeſtivè adhibens venienti occurrito morbo.
Profuerint radix Biſtortæ, Lilia, valles
Queis nomen tribuere, juvant Violæque, Roſæque,
Lutea Leucoïa, & Petaſites, atque Borago.
Oxalis, Helenium, Carlina, Agrimonia, ſylvas
Sanamunda ornans, meritò Benedicta vocata;
Quæque colit montes Calamintha, Crocuſque Britanno

Orbe

Orbe frequens, Calthæ flores, fūſumque cruorem
Pimpinella premens ſuccis, Ulmaria, cuique
Non malè Cardiacæ nomen tribuere Pelaſgi.
Sunt folia & Vitis, Baccho quæ ſacra bimatri,
Hìc ſatìs apta; juvat ſuccus, redolentia mala
Quem præbent contuſa; Roſis pallentibus igne
Eliciti & latices, nomen celebrata Damaſcus
Queis dedit, atque oleum, quod Cinnama ſuavia fundunt,
Moſchatæque nuces, quod Caryophylla, Maciſque,
Ligni Aloes pulvis, condita Cydonia mala:
Ocyma cor hilarant bene olentia, Punica poma,
Granaque coccigerâ creſcentia in ilice rubra,
Hæc Chermes dixere Arabes: non arboris illa
Sunt fructus, ſed vermis opus, qui vulnera roſtro
Intentans folium læſit violenta tenellum,
Hinc ſuccus venis vegetans effuſus apertis
Humectat folium, veſica hinc concava ſurgit;
Continuò hìc ovum vermis deponit in alveo,
Papilioque brevì expanſis petit æthera pennis;
Ne tibi quid tale eveniat, cave providus, acri
Granaque lecta ſtatim cura perfundere aceto:
Optima, quæ Rhodani prope amœna fluenta leguntur:
Arbor Agrifolio ſimilis, foret una eademque
Ni vice baccarum, glandes Jovis arboris inſtar
Ferret: in Hiſpanis, Gallis & naſcitur oris.
Jaſmini albentes proſunt Roriſque marini
Cœrulei flores, viridiſque Lavendula, radix
Nymphææ; flos eſt cui candens, Lutea rarò
In medicos uſus adhibetur: odora Meliſſa,
Bugloſſum, rubus Idæus vulgaris, in omni

Sepe

Sepe frequens, Ceraſumque rubens, radix & Iberæ
Angelicæ, Origanum, Mentaſtra, & Amaracus, udo
Scordia nata ſolo, Poma aurea, Citrea Poma
Semina quæ includunt, conditum Zinziber acre,
Et triplici ſibi quæ diſtant infecta colore
Santala: quod flavet, fulvoque eſt concolor auro,
Triſtia guſtantûm diſtorſerit ora ſapore,
Gratus odor; quamvìs expers quod candet odoris:
Inſula alit Thymor, veniuntque Sinenſibus oris,
Hæc duo duritie ſuperant, & pondere rubrum;
Exterior facies nigra eſt, verùm ardet ab oſtro
Altera: nullus odor nares ferit, inſipidumque eſt.
Carduus & dictus Benedictus juvit, acutis
Obſita quæ ſpinis eſt Berberis, obvia dumis,
A cane, quæ nomen traxit Roſa, dicta Canina,
Quoſque tulit fructus maturos ſuavè rubentes,
Et Caryophylli flores: natura colore
Hìc ludit vario, nulli diſcrimina tanta,
Tulipam excipias, Geticis quæ venit ab oris,
Nec tanta eſt ulli egregiæ præſtantia formæ,
Vincit odore omnes: prodeſt multum hìc & Amomum:
Confertim veniunt fructus, queis forma rotunda
Pene eſt, perfecti ne fiant, Angulus, orbes
Impedit & triplex, triplici grana & polygona
Clauduntur cellâ, ſpirant & Camphoræ odorem.
Coralii pulvis prodeſt: hæc planta ſub undis
Naſcitur æquoreis, foliis caret, albaque ramos,
Nunc rubra, prædura eſt lapidis ſubſtantia, plures
Spargitur in ramos; molles, bullæque rotundæ
Conſpicuæ in ſummis virgultis, diditæ & in ſex

Vaſcula,

Vaſcula, quæ niveo turgent diſtenta liquore,
Qui picis in morem ad digitos lenteſcit habendo,
In medio fluitant & ſemina parva tenacis
Glutinis auxilio, quæ ſubſidentia ad imum
Æquoris, in fundo latitantia corpora quæque
Amplexu aſtringunt avido; producitur indè
Altera, quæ primæ reſpondet imagine plantæ.
Virgineæ & confert quæ Serpentaria radix
Dicitur, huic folium, quod habet Aſclepias alba,
Sunt vice radicis tenues, rufique capilli;
Triſtis in ore ſapor, multumque Lavendulæ odore
Cognata; Hiſpanis quæ Contra-yerva vocatur.
Orbe pererrato primùm Dracus attulit ad nos
Radicem, hinc aliqui malè non dixere Drakenam;
Tuberibus crebris turget nodoſa, colore
Purpureo infecta eſt ex fuſco; plurima fibra
Ex imâ egreditur, gratos emittit odores.
Cardamoma juvant; quæ fœta oleique ſaliſque
Ætherei, tenues facilè evaneſcit in auras
Vis quorum: triplex genus eſt, majuſque minuſque
Et medium, vulgò Paradiſi grana vocantur.
Planta minus, genibus pariens ut Arundo, notatur,
Et folia hanc referunt; primo cognoſcere viſu
Diſcrimen facile haud fuerit, duo, treſve pedes eſt
Alta, fluit trito è folio pergratus odorque,
Huic prope radicem nardi ſatìs æmula ſpica
Emergit, ſed craſſa magìs; quos aurea Malus
Fert, illis ſimiles flores, denſiſſima turba,
Et latè expanſi; ſiliquæ pereuntibus illis
Succeduntque breves, quarum eſt & forma trigona,

Atque obtusus apex ; rubro color ardet ab ostro,
Suntque striis crebris distinctæ, vascula terna
Separat hæc membrana triplex, non crassior alis
Muscarum, hinc facilè & digitis tractata fatiscit ;
Singula vasa tument granis, quæ lutea, rugis
Obducta, & duplici serie dispofta, sed intus
Candida, Camphoram olent, torquent gustantis & ora ;
Quæ dicta est major, plantæ est diversa minori,
Altior humanâ quòd in æthera vecta staturâ
Surgat, & ingenti ramorum exuberet umbrâ ;
At neque tot genibus caulis distinctus, amant nec
Radici vicini in spicam crescere flores,
Sed ferruginei in morem summo Hyacinthi
Vertice nascuntur, majoraque semina multò :
Cardamona locum medium sortita, figurâ
Sunt longâ donata, triplex est angulus illis,
Ex fusco candent, sunt semine fœta frequenti ;
India alit, radiis quæ subdita matutinis.
Asperulæ & nivei flores juvere, & odori
Expressi è Fragis latices, multùm redolentis
Et Calami radix, quæ semina Caucalis edit,
Atque Nigrobalanus, quæ dicitur Emblica ab Indis.

CATARRHUS.

TUSSIS anhela quatit pectus, sævoque catarrho
Ilia lassantur, vox raucet, pulmo gravatur,
Occlusisque poris tenues vix ventilat auras ?
Hìc rubræ juvere Rosæ, Scabiosa, & amara
Helenii radix, niveis maculataque guttis

Symphyta,

Symphyta; pulmonum, quæ Pulmonaria dicta,
Quòd vitiis medeantur; erit nec inutile ſemen
Melonum, Origanum, ſemenque Papaveris albi;
Bechion, atque oleum, quod præbet Amygdala dulcis,
Lignaque Lentiſci, Paphiæ Veneriſque capillus,
Hordea, Gummi Arabum pellucens, candidus olli
Eſt color in fuſcum vergens; Acacia fundit,
Sponte ſuâ: eſt arbos Afris in finibus orta,
Europæque hortis cultu dignata ſuperbis.
Hanc ego fœcundæ mandato ſemine terræ
Exortam colui, ſtudioque tuebar inani;
Nam periit tenera heu! primæ ſub frigora brumæ:
Ramoſa eſt radix, latéque expanſa, ſtatura
Trunci vix ulnas ſuperat ſex, undique rami
Funduntur denſi, ſpinis qui armantur acutis,
Alterno veniunt folia his atque ordine, pulchre
Diſpoſita in morem plumarum, Lentis & inſtar,
Longa duos digitos, ſpinas viridis color ornat,
In quartam digiti partem extenduntur, at illis
Ambitus inferior multò, duo-vix-decima eſt pars,
E mediis horum ſurgit flos luteus alis,
Atque monopetalus, tenui lanugine canus,
Eque tubo exiguo in pateram lateſcit, amœnus
Eſt odor; in medio ſtant ſtamina longa, duobus
Plurima quæ digitis, flexum & curvantur in arcum:
Crebra ſinu compreſſa cavo ſunt ſemina, forma
Eſtque ovi, tenuis ſecernit ſingula pellis.
Candeſcens prodeſtque Thymum, Satureia Maroni
Thymbra vocata, Jovis qui creſcit in arbore viſcus,
Betonicæ pulvis, Caryophyllataque ſicca

Melli admiſta ; decens Myrtuſque, Crocique Syrupus,
Concretus ſuccus Glycyrhizæ, Salvia, & udo
Scordia nata ſolo, Scorodonia, Guaiacumque,
Symphytaque in lentum quæ ſunt decocta ſyrupum,
Lobelii Glaux, & vulgaris Amaracus, ovi
Albo incluſa diu quos Sacchara candida ad ignem
Toſta dabunt dulces latices, & cæſa minutim
Pavame Indorum, lacrymæ Heliadumque nitentes.
Hìc nec inepta foret Fragaria, nobile gramen ;
Magnus & Eryſimum plantis magìs omnibus unum
Hìc fertur docto laudâſſe Lobelius ore,
Herbarum antiſtes, ſoboles certiſſima Phœbi
Lobelius, noſtræ magnum decus additus oræ.
Et triſtes Porri ſucci juvere, Nigellæ
Semina Romanæ in partes contrita minutas ;
Huic teneri, & fragiles caules tolluntur in auras
Bis ſenos digitos, ramorum plurima & illis
Eſt ſeges, & foliis onerantur pluribus, illa
Plaga profunda notat creberrima, talia fundit
A fumo proprium ducens Fumaria nomen,
Ni magìs hæc ſaturo vincant infecta virore,
Cœrulei in ſummis flores venere flagellis
Dilutè ex albo, quinis conſtant petaliſque,
Diſpoſitis ſtellæ in morem, labentibus illis
Succedunt ſiliquæ, quales Aquilegia præbet,
Semine quæ nigro turgeſcunt, æmula & illi
Seminis eſt Cæpæ facies, ſapor acer in ore,
Naribus & pergratus odor ; dixere Latini
Gith veteres ; cultis tantùm reperitur in hortis.
Baccharis & prodeſt, Tabacum, & Nardus Eoa,

Atque ſecus calles creſcens Plantago, & odora
Hortorum Coſtus, capita atque Papaveris albi,
Juniperi gummi, Coriandri ſemina, radix
Et Pyrethri, Meum, Lycium, gummi Styraciſque,
Roſmaris, atque Jovis quæ creſcit in arbore Galla.

CAUSTICA.

CANTHARIDUM ſupplere vices Ranunculus omnis,
Si mitem excipias, poterit, Tithymallus, & acri
Lacte fluens Peplis, Solis ros, atque Sinapi,
Eſula, Lepidium, Piperitida Plinius illi
Dat nomen, piperis quòd ſit ſapor æmulus ore.
Radix craſſa patet digitum non ampliùs, unus
Eſt caulis tenuis, rectus qui aſcendit in auras,
Crebrâ prole ferax cubitos duo, plurima pulpa eſt,
Integra ſunt folia, & minimè diſſecta, vireſcunt
Ex flavo, induitur & qualia Citrea malus,
Exigui candent flores in vertice ſummo:
Monſpelii creſcit, non illud frigora brumæ
Læſere, aut viridem tempeſtas atra colorem
Abſtulit, & tenui quæ flammula cuſpide ſurgit
Bauhini hoc præſtat, teneris & Cæpa nociva
Luminibus, mordens Cotyledon aquatica linguam
Dicta Hydrocotyle, nulli non illa paluſtri
Nata ſolo, à centro ad limbum deducta rotundum
Linea crebra fluit folii, flos albidus illi.
Capſica, quæ fuſcis ad nos vectantur ab Indis
Fervida: Solani folia his ſunt æmula, multò
Sed majora; æquat cubitum caulis tener; indè

Plurimus emergit ramus; velantur amictu
Et flores niveo, maturaque ſemina rubræ
Includunt ſiliquæ in renis formata figuram
Effictæ in coni morem; lucens color illis
Coralii; gignunt veſicas in cute crebras
Laureola, & Pyrethrum, radix Arique recentis,
Quodque Hydro-dixere-piper, Cataputia major,
Et minor, atque Apios: virgulta hìc tenvia junci
Fundit humo, rubro quæ ſunt infecta colore,
Et terræ propiora hærent, rutæ æmula amaræ
Sunt folia huic, ſed longa magìs, magè recta, virentque
Impensè, in cellis clauduntur grana minuta,
Nigra tumens ſucco radix glomeratur in orbem.
Hìc natale ſolum Jovis incunabula jactat.
Et vario juvere aconita Lycoctona flore,
Thapſia guſtantis fauces quæ exaſperat æſtu:
Etruſco venit illa ſolo: Mezereon urens,
Planta ſatìs nota eſt; foliis, ramis & onuſtum
Flexilibus, cortex mucoſo glutine fœta
Ad digitos hærens lenteſcit, amœnus odorque eſt
Floris purpurei dilutè, grana nigella;
Montes, peſtiferæ & juga quæ vicina Genevæ,
Sponte colit: plena & ſævis Euphorbia ſuccis,
Quamque Chamælæam Græci dixere trìcoccon:
Luxuriat ramis; folia huic imitantur olivam;
Adde Thymelæas omnes, & Nerion udis
Quod terris oritur, Rhododaphne, nunc Rhododendron,
Dicitur antiquis; folia huic ſunt, qualia Græca
Nux fert, longa magìs, nec ſunt tam mollia, flores
Non ceſſere roſis, roſea hos nam purpura tingit;

Succedit ſimilis, quem præbet Amygdala, fructus.
Tegmine diſrupto, tenuis lanugo videtur,
(Herbarum meliùs pappum dixere periti,)
Quali After, quali donatur Carduus omnis,
Radix longa, ſalis ſapor eſt ; vix robora vincant
Duritie: ardentem vallis quæ ducit ad Ætnam,
Hoc alit; & rapidæ lædant ne incendia flammæ,
Vicinas affectat aquas, blandoque ſonantes
Murmure torrentes. lethali infamia ſucco
Doronica & juvere; licèt vigor omnibus idem,
Non eadem eſt facies ; hæc torti brachia cancri
Exprimit, hoc ſcorpî chelas, caudamque tremendam;
Bulboſa eſt radix illi, flos luteus ollis
Eſt cucumis, tenui folia his lanugine cana ;
Crebra canalicula & caulem diſtinguit: amant hæc
Avia, & æterno torpentes frigore montes;
Wechſel, Mateſium, Veytzalben, atque Snealben
Durrenſtein, Etſcher, bene deteſtata poetis
Nomina; barbarico fremere hæc quæ muſa tumultu
Eſt potis? hæc aures quæ poſſunt ferre Latinæ?

CEPHALALGIA.

SI caput immodicus dolor urget: naribus hauri
Terreſtris Hederæ ſuccos, Serpyllaque læta
Sparge fovens circùm cava tempora, Peucedanumque,
Solanumque, ſatìs facilem quærentibus herbam,
Verbenæ & puros latices, nil rectius iſtis ;
Si modò vera refert docto Prævotius ore :
Nymphææ & proſunt flores candentis, amara

Intyba, Betonicæ pulvis, Pollenque Secalis,
Salvia, lenta Salix, Abſinthia triſtia, Vitis
Contuſa & folia, & radix ſacrata Cumini,
Capparidumque oleo rubra Blita infuſa, Chamædrys,
Inducens ſomnum Lactuca, Roſæque rubentes,
Nux Moſchata, Macis, flores Roriſque Marini,
Camphora odora, Opium, fœtens media atque Conyza,
Baccharis, & Paphiæ Veneri gratiſſima Myrtus,
Matthioli Pſeudo-coſtus, triſtiſque frequenſque
Portulaca hortis, Caryophyllata, juvantque
Succina, cœruleo viridiſque Lavendula flore,
Et Caryophylli, redolens & Amaracus, urens
Laureola admota & capiti, Centaurea, veris
Primula, Phu magnum, radix, cui nomina odorum
Dat Ῥόδον; emergit caulis, denſiſſima ſylva,
Concavus, atque teres, folia huic ſunt longa & acutâ
Cuſpide, & ad tactum quæ pinguia, plurima crena
Incidit, virides naſcuntur vertice ſummo
Umbellæ, rubrum quæ amiſſo flore colorem
Traxere, æthereas non multùm ſurgit in auras;
Eſt & inæqualis radix, ſatìs æmula coſti
Craſſitie: Ebranci quà tellus tollitur altos
In montes, oritur, regio & quà Cambria crebra
In juga conſcendit, vaſto & Weſtmoria tractu
Quà tumet in denſos colles, præruptaque ſaxa.
Et Ceraſi nigri fructus, atque innuba Laurus
Profuerint, flores quos præbent Lilia vallis,
Cinnama, Fœniculum, Javæque colona Galanga,
Pæoniæ radix; quem fundit Ptarmica, ſuccus
Naribus exceptus, flores & Stœchadis, Indæ

Cubebæ,

Cubebæ, gummique Copal; lacryma arboris illud
Heſperiis bene notæ Indis, bene notæ & Eois;
Durum eſt; atque albus, vel luteus eſt color olli
Pellucens, grato nares demulcet odore.
Cardamoma juvant & olentia, Sarſaparilla,
Juniperi baccæ, tunicæque, & odora Meliſſa,
Non ulmo abſimilis folium, reginaque prati
Horminum, Polium montanum, luteus illi,
Nunc niveus color eſt, tenui lanugine tecta
Sunt folia, & crebris crenis diviſa, & in unum
Congeſti flores, multùm eſt affine Chamædry:
Monſpelii creſcit, terræ multoque calentes
Sole fovent; apta eſt capitis lenire dolores
Iris, quam paſſim dives Florentia nutrit
Mœnibus in celſis; niveo velantur amictu
Conſpicui flores: proſunt & Thymbra, Marumque
Triſte, Thymum, humenti creſcens atque Enula terrâ,
Pavame Indorum; quæ ſobria pocula Nymphis
Dat Thea, Tſia vocant Sinenſes: denſa frutex eſt
Ramis, ſunt folia huic digitum non ampliùs unum
Longa, patent medium, triſtis ſapor eſt, Violæque
Gratus odor, viror eſt, quali Brabantica myrtus
Induitur, quali vel Salvia, floſculus illi
Palleſcens roſeus, ſunt tenvia ſtamina plura
In medio, fructus parvum glomeratur in orbem,
Lævia grana nucem referunt, quæ venit Abellâ,
Et color eſt fuſcus, nucleus rugoſus, & albus,
Dulcis in ore ſapor primò, ſed poſtea amarus,
Atque gravis ſtomacho: prodeſt tingenſque cruento
Hypericon dextras ſucco, digitoſque terentûm;

Lignum

Lignum Aloes, pulchro ridenſque Euphraſia flore,
Dictus odoratus Calamus, Calamita, Styraxque,
Mentaſtrum, gratoque placens Zedoaria odore,
Epotumque Cophy, Veneri & dilecta Cacao,
Phillyreæ atque acri flores madefacti in aceto,
Et folia & baccæ Ruſci, Colocynthis amara,
Oxymeli, Agaricum miſtum, Vitexque pudica,
Laſcivis multùm & quæ deteſtata puellis,
Seſama, Pulegii capitique impoſta Corona,
Et Tiliæ flores, Chinæ radix & odora,
Hauſta Tabaca tubo, atque anguina Cucurbita fronti
Admota, & Cuſcuta Thymo ſuffulta, Prunella,
Atque Aloes ſucci triſtes, lanugine cana
Gnaphalia & tenerâ, latices infuſi in olivo
Sphondylio expreſſi, contuſaque Mechoacanna,
Laburnum, Anagyris dictum: ſunt plurima lenta
Virgulta huic, triſtis ſalicis ſatìs æmula, frondes
Sunt cytiſi glaucæ, confertique agmine denſo
Sunt crocei flores, multùm acceduntque geniſtæ
Floribus, his lapſis ſubeunt compreſſa galegæ
Semina, vix minimo nares pertentat odore,
Eſt radix mollis, tamen eſt ſubſtantia ligni:
Creta Jovi magno paſſim ſacra inſula mittit,
Sponte ſuâ Hiſpanis, & Gallis naſcitur agris.
Eſt alia & ſpecies, quæ nares prætereuntûm
Offendit miſerè Xyridis malè olentis odore,
Alta octo cubitos tenues exurgit in auras
Virgultis ramoſa ſuis, cortexque ſmaragdi
Tincta virore nitet, uno juncta in pedicello
Sunt folia, & tria ſunt, nec multùm aliena Triphylli

Pratenſis foliis, niſi quòd, quæ prona, vireſcat
Pars magìs, & rutilum flores non vicerit aurum;
Oblonga eſt facies, multùm ſimiliſque geniſtæ,
Succedunt latæ ſiliquæ pereuntibus, albas
Quæ incluſere fabas primùm, viliſque phaſeli
Atque fabis ſimiles, niſi quòd ſint mole minores,
Purpura pòſt tingit, maturis aſt color illis
Eſt ferrugineus: Siculo vicina Peloro
Montibus incultis nutrit Meſſana frequenter,
Cernitur atque Italis vulgò ſatìs obvia terris.

CHOLERA.

BILE furit ſanguis? Vaccinia nigra legantur,
Atque Chamæmori baccæ, fructuſque ſalubres,
Quos rubus Idæus, vel quos vulgaris abunde
Fert, ferrugineo & ridentia mora colore
Berberis, & Myſio dicta Oxyacantha Galeno
Contulerit, major Cuſcuta, Abſinthia, Thlaſpi,
Frangulæ & interior cortex, Aſplenia crebris
Denticulis inciſa, unà è radice venitque
Magna ſeges foliorum illis, quæ ſunt ſcolopendræ
Æmula, & hinc nomen; flavet pars una, viretque
Altera, nigranti radix fibrata colore eſt;
Non illis caules, non flores, ſemina nulla,
Fuſca niſi adverſo quæ ſunt veſtigia dorſo;
Naſcuntur montes inter jugaque aſpera ſaxis,
Atque ubi diducto muri ſcinduntur hiatu,
Et veteres ævo rimas egere, ſoloque
Humenti, novitque fidem ſervare virori

Bruma rigens, & vere novo renovantur amictu;
Pepli grana, Apios, læſâ lacrymæque fluentes
Abiete: quem fundunt ſuccum fragrantia mala,
Cœruleæ Violæ, crebrâ Polypodion alâ,
Atque Tragoriganum: brevis eſt hæc planta, & agreſti
Serpyllo accedit, veniunt in vertice ſummo
Purpurei flores: oris oriturque Ciliſſis
Sponte ſuâ, hanc etiam Sporades, & Cyclades alto
Inſulæ in Ægæo gignunt, Mycone, Gyaroſque,
Fertilis & Baccho Naxos, viridiſque Donyſa,
Olearos, niveoque Paros quæ marmore abundat.
Caſſia profuerit, tribuit cui fiſtula nomen,
Fœniculum, niger Helleborus decoctus in albo
Vino, Hippolapathi radix, Rhabarbarum, humique
Fraga oritura, Aloe, quam dives Soccotra, rubro
Quæ vicina mari, mittit: ſunt pinguia ſcillæ
Huic folia, in longum ſpatium porrecta, patentque
Tres minimùm digitos, unum ſunt craſſa, & acutus
Mucro eſt, extremas & creber aculeus oras
Aſperat, & niveis guttis ſunt ſæpe notata,
Ollis cœruleus color ætheris, albus & eſt flos;
Exprimitur ſuccus foliis, Aloeque vocatur,
Cùm ſolidam in maſſam paulatim induruit: illa
Optima, purpureo lucet quæ infecta colore,
Vergenti in rubrum, ſenſim & molleſcit habendo,
Quæ fluat ad Phœbi radios, ignique liqueſcat
Admota, & fragilis primæ ſub frigora brumæ
Siccaque ſit, triſtis Myrrhæque imitetur odorem,
Sumpta graves oculos leni apta occludere ſomno.
Sed neque bulboſa eſt Iris damnanda, & amara

Intyba miſta mero, cor exhilaranſque Borago,
Bugloſſum ſterili gaudens tellure, Thymique
Pulvis, & effuſum quæ Pimpinella cruorem
Siſtit, Chondrillæ ſeſami ſatis æmula grana
Cœruleæ; caulis palmam vix ſurgit in auras,
Et folia huic referunt, quæ dicta Coronopus, herbam,
Eſtque caput cyani, ſummo ſunt vertice denſi
Purpurei flores, funduſque eſt candidus illis,
Parva nigret radix. prodeſt ſuccus Tithymalli
Lacteus in maſſam concretus, lympha & acetum
Miſta cuï fuerint; quos fundit citrina flores
Stœchas olens: folia huic ſunt plura anguſta minutaque,
In ſummis veniunt & flores caulibus, auro
Qui certent, grato nares recreanti & odore:
Incultis oritur terris, Provincia gignit.
Juvere & Lupulus, Fumaria, odora Meliſſa,
Hyſſopus, Rubia & tingendis optima lanis,
Aſcyron, atque Apium, Syriis Scammonia terris
Sponte ſuâ veniens, meliùs Convolvulus illa
Dicitur Aſſyrius; radix eſt craſſa, tumetque
Lacte ſuo, nigretque cutis, ſed candida pulpa eſt,
Viticulas plures, facilis queis ſcandat in auras,
Emittitque ferax, longas tres ampliùs ulnas,
Tractatæ ad digitos denteſcunt glutinis inſtar;
Sunt folia Helxines, nigræve volubilis, arvis
Quæ paſſim creſcit, floris Campanula forma eſt,
Luteus atque illi color eſt, quandoque rubeſcit
Dilutè; nigra ſunt quæ capſula ſemina claudit
Muco obducta, frequens diſtinguit & angulus illa.
Utilis & Sena eſt, Italis quæ naſcitur oris,

Capparidis cortex, cortex humiliſque Myricæ,
Fraxino & exudans æſtivis menſibus anni
Manna potens, orni è ramis collectaque ; rorem
Credidit aerium cæco deluſa vetuſtas
Errore: hunc primus præſcripſit Sala, tenebras
Dum Meſuæ evolvit, dubiis & lumina rebus
Affert ; atque Arabum, Stœchas, quæ naſcitur oris,
Profuit, in vino cocta & Pulegia amara,
Quodque Heliotropium Græci dixere, ſecutum
Phœbæos radios: ſummis in caulibus hærent
Candentes flores, qui dilutéque rubeſcunt,
Et ſcorpî caudam referunt ; ſuccuſque Roſarum
Rubrarum juvit, Sambuci lenta flagella,
Citrea mala placent nimios pulſura calores,
Hordea cocta, cutis Sambuci atque intima olentis,
Et Tormentillæ pulvis radicis, & unà
Album ovi intritum, Vaccinia rubra paluſtri
Sparſa ſolo paſſim, Calamintha, & Punica poma,
Atque Myrobalanus, quæ dicitur Emblica, pulpa eſt
Candida Citrulli: longi huic, latéque trahentes
Per terram ſarmenta virent caules, ut Iacchi
Vitis ramoſi, plagis inciſa profundis
Sunt folia & crebris ; vicinaque quæque tenaces
Capreoli ſtringunt arctis amplexibus ; auro
Contendant rutili flores, ſunt poma rotunda,
Sulcus aratque frequens, quâ parte & ſydera cœli
Spectavere, virent ; quæ pars eſt proxima terræ,
Albeſcit ; cutis eſt lævis, compreſſaque mole
Semina ſunt cucumis granis majora, calenſque
Eſtque natale ſolum ; Siculis, Calabriſque, Syriſque

Sponte

Sponte venit terris; Libani quà montibus ortus
Thuriferis volvit fluctus violentus Orontes,
Quà Tigris fremit; atque Apulis innafcitur agris.

CHLOROSIS.

PRÆCIPUE intactas folet hìc vexare puellas
Morbus, & haud dubiis poteris deprendere fignis,
Miris ora modis pallefcunt, corpora fœdus
Atque color tingit, inflataque lumina turgent,
Et facies, tibiæque tument, & crura pedefque
Torpor ftringit iners, nec qui vigor antè folebat,
Languentes artus vegetat, laffataque membra,
Difficilè occlufis venit è pulmonibus aura,
Infuetis venæque micant impulfibus, ægris
Somnus & obrepit, comes eft infana vorandi
Et calcem, cinerefque, lutum, terramque cupido:
Malaciam Græci, Picam dixere Latini,
Stagnanti obftructi & fiftuntur fanguine menfes.
Juvere hìc radix Sambuci, femen Anifi,
Hortorum Coftus, Centauri pulvis amari,
Fæx vini in cruftæ morem durata, Thymumque
Cecropium, foliis furgens & Rufcus acutis,
Guaiacum, ex Ferulâ manans gummi, Sagapenum
Dictum, Apium, Daucus fylveftris, folftitialis
Carduus, infufa in Baccho Verbena, Conyza,
Galbana cœruleis multúmque invifa colubris,
Atque Afari radix, pingui Nafturtia juri
Incocta, & Phrygiâ Dictamnus qui venit Idâ,
Hydropiper terris ortumque humentibus, Ari

Pulvis,

Pulvis, Cardiaca, & croceo Leucoïa flore,
Cortex fraxinea, & crebris Aſplenion alis,
Partheniumque fugans febrim, Zedoaria odora,
Zerumbeth Arabes vulgò dixere, Cananor
Hanc alit, & Calicut, nunc eſtque figura rotunda,
Nunc oblonga, color cinerum eſt, eſt flava medulla,
Subtiliſque ſapor guſtantis ſenſilis ore eſt.
Proſunt & Saſafras, Chelidonia fulva, Chamædrys
Albo infuſa mero, Veronica More Theæque
Hauſta, Glycyrrhiza, incenſæ cinereſque Geniſtæ
Infuſi Baccho, Rhamnuſque catharticus, arvis
Sena Italis veniens, redolentia Cardamoma,
Et Laricis fungus pinguis, Serpylla roſarum
Infuſa in vino, flavoque Calendula flore,
Arvenſis Rubia & tinctoribus utilis herba,
Balnea quæ Origanum præbet, majus Lapathumque,
Dictum Hippolapathum, Scabioſa, Agrimonia, Mentha
Atque inviſa catis, mordentis grana Sinapi,
Teſtibus infamis nudis mas Mercurialis,
Atque Eupatorium, croceo Tanacetaque flore,
Herbaque cui nomen dedit Artemis Ilithyia,
Cinnamaque, & dulcis quæ ſacchara claudit arundo,
Paſſim & Germanis quæ nata Chryſanthema campis,
Incumbunt terræ folia huic, quæ lata, ſupina
Eſt lævis facies, diluto tincta virore
Prona riget, teneri tendunt & in æthera caules
Alti ſeſquipedem, molli lanugine cani;
Terna ſecant plerumque atque internodia, cuique
Bina adverſa ſibi folia emerſere minuta,
In ſummo calthæ flaveſcunt vertice flores,

His

His lapſis ſequitur pappus, quem ventus & aura
Abripiunt, fibris radix eſt fulta tenellis.
Infuſa & proſunt Abſinthia triſtia vino,
Exſudans orni ramis & Manna, rubenſque
Santalon, & croceum, quos fundunt Medica ſuccos
Mala acidos, folioque cavo Cochlearia, Ponti
Rhaque, & quæ tardis ſunt menſibus apta movendis.

COLICUS DOLOR.

SI dolor iliacus ſævit, ſi tormina ventris
Excruciant, rebus tibi ſint ſolamen in arctis
Juniperi, baccæ, ſuavè atque rubentia poma
Ilicis, Œnanthe, Radix urſina, Pelaſgis
Dicta Meum, Daucus, Geranî & nobile gramen
Lepidii ſemen, Veronica, Erigerique
Succus, Aquilegiæ ſemen, flores & Ericæ,
Et Chærophyllon, Galeopſis, Denſque leonis,
Pimpinella frequens pratis, Bardanaque major,
Fœta oleo Seſami laterique admota dolenti
Semina, luteolo Fumaria tincta colore,
Corydalim dicunt nonnulli: plurimus illi
Ramoſus caulis venit è radicibus imis,
Quæ Aſparagi ſimiles, folia haud aliena Thalictri
Pratenſis foliis, multò licèt ipſa minora,
Spicati flores croceo velantur amictu
Caulibus in ſummis; illis ſiliquæ bipatentes
Succedunt curtæ, pronæ pendentque deorſum,
Lucida quaſſatis ſaliunt his grana minuta:
Illyricis, Thuſcis, Gallis & montibus illa

Sponte

Sponte oritur. Pulli, quæ ſemina Braſſica præbet,
Juri incocta, juvant, Apium, quod collibus altis
Naſcitur Æmoniæ, Petro-dixere-ſelinum
Graiugenæ, Urticæ latices, quos exprimit ignis
Majori; minimas ſi ſol cùm altiſſimus umbras
Dat, ſi cùm referetque diem, condetque relatum,
Sumantur; Lini ſemenque, Aſtrantia odora,
Polygoni ſuccus, ſemenque Lagopodis acri
Infuſum vino, Rutæ decocta & amaræ,
Atque Cyclaminos, Verbaſcaque lutea, lenta
Carpinus, & Cari ſemen, Zedoaria odora,
Nux moſchata, Piper rugoſum, Zinziber acre
Conditum, Lauri baccæ cum melle tenaci,
Vel leni vino, Caryophyllata, & Anethi
Semina, cœruleo viridiſque Lavendula flore,
Laureolæ baccæ, quinis Plantagoque nervis
Donata, Helenium, Caryophylla, Indica Coſtus
Et Pneumonanthe: terras amat illa paluſtres,
Sunt folia huic multùm Thymbræ accedentia, caulis
Tres digitos longus, floris campanula forma eſt;
Cœruleus pulchre eſt, qualis color ætheris alti,
Quinque ſecant oras extremas crenæ & acutæ,
Quinque ſtriæ & corpus floris, dilutus & illis
Eſt viror, horrentes radix tolerare pruinas
Eſt potis, effuſo redivivaque ſemine ſurgit.
Pingue Chamæmelum prodeſt, & congener illi
Suavè rubens, Paphiæque Deæ dilectus Adonis:
Tenvia ſunt folia, & Cotylæ ſatìs æmula, caules
Fuſi & humi, radix crebris eſt prædita fibris,
Flore polypetalo eſt, fructus ranunculi & illi

Oblongus,

Oblongus, ſquamiſque rigens, eſt luteus alter,
Hoc tantùm & primo diſpar: pulcherrimus olim
Hìc juvenis, lucis canibus cùm urgeret anhelis
Forte feras, magno prædæ ſuccenſus amore,
Dente cadit ſpumantis apri, miſerata cadentem
Hunc Venus in florem proprio de nomine dictum
Vertit, ſanguineo juſſitque rubere colore,
Indicio cædis. neque ſint hìc ultima cura
Litoribus paſſim quæ Eryngia nata marinis,
Aſpera, & excuſſæ patulâ Jovis arbore glandes,
Betonica & fœtens, rivos amat illa ſonoros,
Heſperis allium olens, Centauria triſtia, radix
Dictamni, longi radix & amara Cyperi,
Admotæ & lateri frixæ in ſartagine Avenæ,
Utraque Balſamine: quæ maſcula plurima fundit
Sarmenta, & vitis folia huic ſunt æmula, lenti
Capreoli amplexu ſtringunt quæ proxima, flores
Sunt cucumis, croceo pallent tinctique colore,
Parvum poma ovum referunt, armantur acutis
Dipſacus ut ſpinis, primò viruere, rubentque
Matura, in plures partes hiſcentibus illis,
Semina ſponte cadunt, ſummas crenata per oras:
Affectat terras alio ſub ſole calentes.
Fœmina quæ; caules craſſos, ſuccoque tumentes,
Treſque pedes altos fundit, ramis & onuſtos,
Sunt Salicis folia, extremas crena ambit at oras
Plurima; ſunt ampli flores, & ſuavè rubeſcunt,
Calcaris cauda eſt his inſtar, lutea poma
Cùm matura; mari forma eſt nec multùm aliena,
Semina Lenticulæ, radix eſt craſſa, breviſque,

Nec venit in noſtris niſi jacto ſemine terris.
Antithoræ ſuccuſque juvat, Media atque Conyza,
Doronici radix Itali fœtens Cotyleque
Atque Acorus verus, Pſeudo-ſemenque-Melanthî,
Cui vini æthereus vigor additur, obvia radix
Et Pimpinellæ, rubra Spongia ſæpe caninæ
Nata Roſæ in ramis, Hederâ terreſtri oleumque
Elicitum, & ſiccis creſcens Agrimonia foſſis,
Crebro dente tumens Dentaria, Denſque caninus,
Nephriticum lignum deſciſſum ex arbore, nomen
Cui nondum impoſitum eſt: paſſim nova Iberia nutrit;
Eſtque pyri moles, eadem ſubſtantia & illi.
Alterno in ramis veniunt folia ordine, abhorrent
Nec ciceris foliis, dentata haud fimbria crenis,
Et ſunt craſſa magìs, digitos ſunt quatuor ampla,
Et medium longa, obſcuroque ſupina virore
Pars viret, horreſcitque pilis, lanugoque pronam
Partem operit mollis, cui lux argentea, nervus
Per folium meat, in partes & dividit æquas,
In ſummis flores ſunt ramis, quinque calyx &
Diditur in crenas, roſeâ lanugine tectus,
Qui calathum ſimulet: ſic Tournefortius illam
Depingit; ſapiens medicus lignum eligat illud,
Quod croceum pallet, ſolidum quod pondere dextram
Librantis laſſet, diſtorquet & ora ſapore
Triſti; cui fuſcus pulpæ color, atraque cortex,
Et quod aquæ infuſum ſaturum præbere colorem
Aptum ſit mediæ ſpatio non ampliùs horæ.
Profuit atque oleum Menthæ, Serpyllaque, odori
Et Junci flores, & Balſama Tolutana:

(Arbor, quæ fundit, pingui eſt ſatìs æmula pino)
Aureus arridet oculis color, optimus ore
Eſt ſapor, eſt & gratus odor, lenteſcit habendo
Ad digitos inſtar mellis liquor; arbore Xylo
Quæque fluunt, lacrymæ juvere, has purpura tingit.
Fertilis & mittit quæ Opobaſama olentia Idume,
Cardamoma, nucis Juli Juglandis amaræ,
Sambuci flores, Ulmaria, Amygdala dulcis,
Manna cuï fuerint & ſacchara candida miſta,
Narciſſus, flores Jaſmini, Salvia vitæ,
Veronica & Pauli, Tanaceta & odora, Molucca
Ligna, Thea, & radix, quam dat Serratula, ſemen
Limonii: folia huic Betæ, licèt illa minora,
Longa tamen magè ſunt, numero plerumque decemque;
Exigui quales & habent, ſunt, Lilia, caules:
Sunt nivei flores, ſunt grana rubentia, radix
Craſſa rubet; natale ſolum, vicina marique
Quæ loca: diverſum genus eſt, eſtque unicus illi
Cauliculus tantùm, vacuus rumis, veniuntque
Utrinque alati flores, eſt unica radix,
Cætera non diſtat primo. juvere Halimique
Radices ſicci: folia huic ſunt æmula Olivæ,
Craſſa tamen magè ſunt, & caneſcentia, ſalſus
Eſtque ſapor, caules tenues, ramique colore
Sunt ſimili, flores veniunt in vertice ſummo
Cœrulei, atque illis ſuccedunt grana minuta,
Uvæ diſpoſita in morem: venit ille marinis
Litoribus; Venetis ubertim naſcitur oris,
Quà pelagus premit arva, ſonanſque immurmurat undis.
Triſti contulerint & fœta Hieracia ſucco,

Et Ricini ſemen, qui Chriſti palma vocatur:
Arboris eſt inſtar, ficumque æquaverit, illi
Sunt folia & platani, in digitos diſtincta, manumque
Non malè quæ referant, fuſcoque obſcura virore;
Et rami, & caules ſunt concavi arundinis inſtar,
More uvæ veniunt, tangenti atque aſpera grana,
Quæ vermes ſimulent, canibuſque ovibuſque moleſtos,
Hos voce appoſitâ dicunt Græci Κυναραιστὰς,
Hinc plantæ & nomen veteres tribuere Latini:
Meſſana hunc Siculo nutrit vicina Peloro,
Cernitur atque frequens Calabris in finibus ille.
Proſunt Piſtaciæque nuces, majorque Galanga,
Tabacique oleum, radix & Mechoacannæ,
In pratis Seſeli veniens, triſtis Colocynthis,
Et Chiliophylla in partes contrita minutas,
Pondere ſi drachmæ in vino potentur, & Herbæ
Radicum Paridis pulvis, redolenſque Cuminum,
Carthamus & ſemen quod præbet luteus, atque
Gladioli ſegetum ſemen, ſiliquæque aſinino
In lacte, aut capræ, Gallis hìc venit in arvis:
Iridis huic folia, & pallenti tincta virore,
Crebra canalicula & percurrit, ſurgit in auras,
Hæc inter caulis cubitis qui ſæpe duobus
Eſt altus, pulchro veniunt atque ordine flores
Purpurei, & formâ multùm accedunt digitalis
Floribus, his lapſis ſiliquæ ſubiere rotundæ,
Semine quæ vulgò fœtæ rubroque, levique,
Ex duplici bulbo radix formatur, & ille
Qui ſummus minor eſt, ſucco multoque tumeſcit
Vere novo, aſt imus languet perquam brevis ævi.

MOTUS

MOTUS CONVULSIVI.

UTTILIS hìc fuerit Phyllitis, Lilia vallis,
Et Cerasi nigri fructus, & Primula veris,
Quæque viret variis humentibus Enula campis,
Atque Chamæmeli flores, floresque Aparines,
Alsines juvat & pulvis, semenque Sinapi,
Gallii & auricomi flores, & Valeriana,
Sicca Caova juvatque, Arabum felicibus oris
Nascitur arbor olens; illam coluere minori
Indigenæ haud curâ, quàm quondam credita mala
Hesperidum referunt vigilem observâsse draconem;
Et ne fortè aliis veniant sata semina terris,
Non priùs hæc ad nos mittunt, quàm flamma feraces
Abstulerit vires, fœcundæ orbârit & omni
Spe prolis; meritò hâc unâ satìs arbore felix
Dicenda est regio; sparsas nam hinc omnibus oris
Orbis opes trahit ad sese. decoctum Ebenique
Utile, quod quamvis piceâ caligine tectum,
Splendescit, læve est Eboris ferroque politi
In morem: juvat & crebro Fumaria bulbo,
Coralii pulvis, flores Jasmini & olentes,
Juniperi baccæ, majoraque Centaurea,
Pæoniæ radix, Succisa, Galega, Marumque,
Aristo-& priscis quæ dicta-lochia Pelasgis,
Sampsuchi atque oleum, Xyris, Lignumque Moluccum,
Salvia, nata jugis Calamintha, Crocus, tricolores
Et Violæ, Lauri baccæ, Serpyllaque, flores
Et Tiliæ, redolens, quæ dicitur Indica, costus;

Optima

Optima cui cineri facies eſt concolor, intus
Albet, nec carie putris, ſed craſſa, recenſque
Quæ patulas grato nares demulcet odore,
Sed triſtis ſit in ore ſapor; juvitque Papaver,
Excipitur foliorum alis cui roſcida ſpuma,
Unde trahit nomen, teneræque cubile cicadæ eſt.
Balſamine, atque Iris quæcunque, Lavendula, Anethi
Semina, Gummi Animi, Ferula atque ferens Sagapenum,
Gummi oleum Elemi, quæ dicta Paralyſis herba,
Et Caryophylli, redolens Calaminta, Styraxque,
Pamphyliis, Syriis, Siculis & mittitur oris:
Baccharis, & gratos ſpirans Aſtrantia odores,
Gentiana juvant, & Balſama Tolutana,
Hyblæumque Thymum, Rha Ponti, Peucedanique
Concretus ſuccus, caſtæ & quæ ſacra Dianæ
Cardiaca, Aſphodeli radix infuſa Lyæo,
Atque Acorus verus, pinguis radix & Hibiſci,
Auriculæ atque urſi radix fibrata, Coriſque
Matthioli: huic radix multis durabilis annis,
Bis ſex hinc digitos rami mittuntur in auras,
Queis teretes ſimileſque Kali frondes viruere,
In plura & ſummi funduntur brachia caules,
Hyperici flores flores retulere, rubentque
Ex albo, in medio ſunt ſtamina denſa, apiceſque
Sunt crocei; natale ſolum vicina marique
Sunt loca, quæ Phœbi radiis tepefacta caleſcunt.
　　Schoenanthi flores juvere, & ſquameæ ariſtæ:
Sunt folia huic ſparto non multùm aliena Britanno,
Radices crebræ, fibris conſtantque tenellis
Defoſſæ in tellurem altè, cauleſque cyperi

Sunt

Sunt ſimiles, ſterili ſpicæque in vertice ſummo
Acceſſere bromo: noſtris eſt hoſpes in oris,
Africa alit tellus paſſim, Nabathæaque regna.

COSMETICA.

SIQUA inter tantas formæ ſtudioſa puellas
Conciliare velit Venerem ſibi, ſiqua decorem
Affectet vultûs, maculaſque averterit omnes,
Et faciês rugas, dum fallere geſtit amantem:
Fundit humo facilem fucum ditiſſima tellus;
En votis factura ſatìs ſtant ordine longo
Obſequioſa cohors, viridi circumdata amictu;
Argentina micans, Fragaria, Dipſacus, Arum,
Solanumque trahens lethi de nomine nomen,
Hanc Itali plantam *Bellam dixere puellam,
Et Faba Pythagoræ menſis excluſa Sophorum,
Betula, & Erucæ latices, & Primula veris,
Herba frequens ſylvis Salomonis dicta ſigillum,
Ptarmica, Pulegium, Becabunga, ignota Pelaſgis
Et pingui folio Cochlearia, Perſica malus
Quos fundit flores, Iris, triſtiſque Sabina,
Chondrillæ, atque ulmi ſuccus, Piperitis, olenſque
Jaſminum, Xylique oleum, Plumbago, Lupini
Pollen, Narciſſus, decoctaque Centaurea,
Et Tami radix contuſa, argentea Stœbe,
Sonchus, & Aſphodeli radix, & Frangula, Pini
Expreſſi è gemmis latices, Capri foliumque,
Atque Cyclaminus, Campanula, & aurea mala
Quos reddunt ſuccos, Fumaria, Lilia, odora

* *Bella Donna.*

Camphora

Camphora queis miſta eſt, Orobi cum melle tenaci
Semina, gummi Hederæ: prodeſt & amara Geniſta,
Orchidi & affinis Orobanche, atque Antirrhinon,
Quæ Scabioſa frequens arviſque, Paralyſis herba,
Carduus & fulvo nomen qui ducit ab auro,
Narciſſus Junci foliis, radixque Dracontî,
Capſica, & Anchuſæ radix, quæ concolor oſtro;
Propter aquæ rivos creſcenſque Betonica fœtens,
Et Ligurum terris oriunda Leviſtica opimis,
Quamque Chamælæam Græci dixere tricoccon,
Et Fagus, foliis quercû ſimiliſque Chamædrys,
Immiſſæ in vinum lectæ ex Jovis arbore Gallæ,
Sulfuris admiſtus fuerit queis pulvis & acris
Iridis, & totos triginta ex ordine ſoles
Sint vino infuſæ, Phœbi expoſtæque calentis
Ardori, Acaciæ ſuccus, cum melle tenaci
Miſta Aloe, niveum Ficûs Lac & foliorum,
Sanguineo ſplendore rubentia Lilia, lentæ
Lentiſci lacrymæ, Raphani radixque, Sinapi,
Lini oleum, Viciæ pollen, Nymphæaque flore
Albenti, Nenuphar Arabes dixere: Melanthî
Et ſemen, latices quos fundunt Citrea mala,
Juglandiſque oleum, viridis ſuccique Tabaci,
Allia, queis vigilem fertur ſopîſſe draconem
Colchis, Triticeumque oleum, cum melle liquenti
Cinnama, & Hellebori radix nigrantis, aceto
Rha Ponti infuſum, triſtique Abſynthia ſucco,
Moſchatæque nuces, & mollis Amaracus, albæ
Atque Syringæ oleum: folia huic ſunt æmula virgæ
Sanguineæ foliis, glauca eſt, atque aſpera cortex,

Quæ ramos operit, plures in vertice flores
Naſcuntur ſummo, niveoque teguntur amictu,
Quatuor & conſtant petalis, odor optimus illis;
Aurea talem halat malus, cùm flore ſuperbit:
Illis ſuccedit fructus pereuntibus, ater
Cui color, atque uno contentus ſemine longo eſt,
Radix, arbuſtis ut mos, ſeſe undique ſpargit;
Argema luminibus tollens juvat Argemone,
Et Fœni ſemen Græci, nigrantia Crambes
Semina, & effuſum quæ ſiſtere nata cruorem
Pimpinella ſuis ſuccis ſaxifraga, Ibera
Craſſula: Telephio haud multùm diſtare videtur,
Ni majora forent folia huic, & lutea florum
Dilutè umbella: Hungaricis innaſcitur oris,
Quà ſeptemgeminis latè fremit Iſter ab undis,
Germaniſque venit terris, vicina bicorni
Quà vineta virent Rheno, prodeſtque Galeni
Alyſſum, inſanis præſens medicina: minora
Marrubii foliis folia huic ſunt, ſed magè criſpa,
Atque incana magìs, nares feriuntur odore
Hinc nullo, aut minimo, ſpinis armantur acutis
Qui caules cingunt calyces, veniunt & ab illis
Cœrulei paſſim flores gallæ inſtar hiantes.

DIAPHORETICA.

HÆC tibi per varios carniſque, cutiſque meatus
Educunt ſalſas toto de corpore lymphas,
Sudoremque cient: Buxi decocta, Chamædrys,
Atque Chamæmelon, Crocus aureus, & Petaſites

Flumina amans, nonnunquam æquans & mole galerum,
Sambuci baccæ, ducenſque ab hirundine nomen
Herba frequens paſſim, fuſum ſiſtenſque cruorem
Pimpinella ſuis ſuccis, Fumaria, cortex
Fraxineus, Lupuli radix, radixque Cicutæ
Immiſſa in calidos latices undantis aheni,
Totaque Juniperus, prati Reginaque, cuique
Sapo dedit nomen, faciemque ſimillima lauro
Laureola, atque Ebuli cortex mediana, rubenſque
Solanum hortorum, Veronica, Polygonumque,
Tormentilla humilis, Scabioſa, rubrumque Papaver,
Carduus & niveis candeſcens undique venis,
Scordion, & ſylvis humentibus obvia paſſim
Angelica, atque inter craſſas inventa paludes
Herba apio ſimilis, Eleo-dixere-ſelinon
Majores, & amans multò juga ſubdita Phœbo,
Atque ſolum ſterile Scorodonia, Valeriana;
Contulerint croceo redolenſque Calendula flore,
Citrea mala, Chinæ radix, & Sarſaparilla,
Carduus & dictus Benedictus, citrina Stœchas
Atque Arabum, Cluſio radix quæ dicta Drakena,
Contrayerva vocant Hiſpano nomine Iberi,
Pavame Indorum, febri illi inimica, dolentem
Quæ nunc Ætnæos ardens demergit in ignes,
Frigore nunc tremulos laxis compagibus artus
Convellit quatiens, preſsâ nunc lenior irâ
Spe miſerum lactat tranquilla, ſtatiſque recurrens
Temporibus, multò violentior ingruit hoſtis,
Hinc nomenque Anglis. prodeſt celebrata Maroni
Hyblæis apibus florem depaſtaque Thymbra,

Guaiacum, triſti fœta atque Abnſithia ſucco,
Dictæ à matronis Violæ, Calaminthaque, major
Lappa, Monophyllon, folium natura ſecundum
Non tribuit; Pyrethrum, Polyrhizaque Virginiana,
Atque hederam referens foliis Aſclepias, Inda
Eſt melior quàm fert regio, Cochlearia pinguis,
Veronica & Pauli tumulis enata ſupina,
Carlina (hanc λευκακάνθην dixere Pelaſgi.
Juverit in pingui decocta & jure Galega,
Illitus atque cuti Bugloſſæ ſuccus, aqua eſt cui
Vitæ admiſta, Marum, Serpyllum, atque aſpera Smilax,
Balnea & ex foliis Juglandis facta, Tridenti
Montibus & creſcens Aſtrantia odora, jugiſque
Amani, irriguoſque ſecus Naſturtia fontes
Nata, ſolo ſterili veniens & Onobrychis, acris
Incocta in vino Thymelæa, nitrumque coloris
Quod ſalis, hôc artus ungantur; proderit albo
Incoctumque mero Milium: ſunt, qualia arundo
Producit, folia huic, tenues exurgit in auras
Plùs cubitum, caulis tenerâ lanugine tectus,
Atque frequens nodis, digito non craſſior unquam,
In plures partes ſpicæ funduntur, & omnes
In terram vergunt, dura eſt, diſperſaque radix
Hinc atque hinc latè, mandantur lutea terræ
Semina, quæ pinguis, multus quamque irrigat humor.

DIARRHOEA.

SÆPIUS invito fluit alvus, ſtercora ſæpe
Improviſa viam inveniunt, injuſſaque læſo

Erumpunt ſphinctere ani. medicina Fabarum
Sit præſens pollen, Lens, Muſcus, Berberis acris,
Et Lapathi ſemen, Phyllitis, Sorbus, & altis
Montibus, & denſis rutilans Virga aurea ſylvis,
Althææ radix mucoſæ, Agrimonia, odora
Nardus, Plantago, Biſtortaque Virginiana,
Muris Cauda, rubens radicem Anchuſa, Cupreſſi
Et folia, & coni lugubris; plurima ſæcla
Haud lignum domuere; hôc limina ſtructa Dianæ
Inconcuſſa quater centum durâſſe per annos
Fama refert, hôc & Petri valvæ bipatentes
Compactæ ætates bis ter vicere, & in ævum
Spirat odoratas & gratas naribus auras.
Suberis atque levis cineres juvere, rubenſque
Beta, Ophrys foliis pinguis notiſſima binis,
Sanguineæ fructus virgæ, Rhapontica, cortex
Caſtaneæ dulcis; nullos adhibetur Equina
In medicos uſus: dictus prodeſtque Mariæ
Carduus, hirſutis folia huic ſunt obſita ſpinis,
Longa, & lata patent, niveis interlita venis,
Crebra canalicula & molli lanugine tectum
Diſtinguit caulem, pedibus non ampliùs altum
Sex; fluit in plures ramos qui, tangere cuiquam
Haud impunè licet, radix eſt longa ſatiſque
Craſſa, venit ſiccis foſſarum ſæpiùs oris.
Tormentilla, nucum contrita putamina Abellæ,
Lutea ſtagnantes inter quæ nata paludes
Iris, Coralium, majoraque Symphyta, radix
Nymphææ, Aſpalathi, Lentiſci, & ligna Myricæ,
Hippuris, tunicæque, tegunt quæ punica mala,

Infuſæ vino, Rheno vicina bicorni
Quod vineta ferunt, Cerinthe, ignobile gramen,
Pentaque-quod-phyllon Graii dixere, Echiumque,
Clematis & pulchræ debens ſua nomina Daphne,
Burſaque paſtoris, Caryophyllata, rubenſque
Sanguineis baccis Fragaria, denſa piliſque
Hirſutis Myoſotis humi diffuſa, Joviſque
Arbor, pratorum decus Alchimilla, frequenti
Quæ ſulcata plicâ, & quæ dicta Paralyſis herba,
Et minor, & major Juncus, ſorbenſque cruorem
Pimpinella, cuï meritò dedit Hernia nomen
Polygonon: ſeries ramorum plurima terram
Latè operit, teretes qui ſunt, veniuntque tenellâ
E radice, tumentque genu internodia crebro,
Parva Thymi foliis folia huic vix æqua, virentque
Ex flavo, atque acer ſapor eſt guſtantis in ore,
Maxima vis florum croceo quæ infecta colore.
    ET ferruginei proſunt flores Hyacinthi,
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis
Immatura, ſtachys Fuſchî, barbataque Tapſos,
Et flores Pyrolæ: prope noti nominis urbem
Hæc Halifax creſcit: folia huic ſunt quinque ſupina
Quæ terræ incumbunt, ſunt lævia, craſſa, pyrique
Æmula, & obſcurus viror eſt, his caulis in altum
Exurgit ter tres digitos, coiere ſuperbam
In ſpicam flores niveo candore decori,
Guſtantis fauces triſtis torquebit amaror.
Arbor & inducit patriæ quæ oblivia Lotos
Longa juvat, Myrti baccæ, pulchrique Amaranthi
Æterni flores, ſylveſtri ex arbore lecta

Pruna

Pruna, ducis nomen retinens Lyſimachia, pigris
Orta Sagitta in aquis, ſpumoſa Papavera, Malvæ,
Malaque & incanis hirſuta Cydonia villis,
Quas Rubus Idæus baccas fert, Roſque Marinus,
Tinctorum Rubia, & Leporis pes, Polygonumque,
Bechion, & Cytiſus, coriis atque apta parandis
Rhus (Arabes dixere Sumach) & Meſpila, Ribis
Et nigri fructus, Balauſtia, Denſque leonis,
Atque Sedum majus, congeſtæ ceſpite paſſim
Hoc humiles peperere caſæ, verumque Adiantum
Rupibus irriguis gaudens, & fontibus; udo
Quæque Triphylla ſolo venere paluſtria, vitis
Capreoli teneræ, quæ ramis ſe impedit ulmi
Dilectæ, Lolium vino rubrumque ſevero
Incoctum, Hyperici flores, & ſemina pota:
Et croceo rutilat quæ Centimorbia flore
Major, purpureoque minor quæ tincta colore,
In fornace diu Coriandri ſemina toſta,
Argento certans atque Argentina, Sophia
Et Chirurgorum, redolentis ſemina Aniſi,
Ledanon è Ciſto collectum, grana Geniſtæ
Spinoſæ, Siſeris ſuccus cum lacte caprino,
Aſtragalique nuces noſtratis: in omnibus ille
Obvius eſt ſylvis, & ſaltibus, arbor opaca
Plurima Phœbæos ubi lenit fronde calores,
Vere novo erumpit, cùm primùm frigore ſtrictos
Laxat terra ſinus, zephyriſque tepentibus aura
Surgere humo invitat clementior, altus in Æthram
Vix pede conſurgit caulis polygonus, & illi
Inferior tenuis pars eſt magè lata ſupernâ,

Sunt

Sunt duo nunc quatuor folia huic anguſta in acutum
Mucronem ſenſim tenuata, uni & pedicello
Affixa, in binos digitos qui excurrit, amœni
Hinc duo naſcuntur flores in vertice ſummo
Purpurei, florum facies ſatìs æmula piſi,
Hi ſenio effœti turpi ferrugine livent,
Queis tandem lapſis rectæ, nigræ, tereteſque
Succedunt ſiliquæ, albenti quæ ſemine turgent,
Nituntur crebris radicum tubera fibris,
Nigra cutis veſtit. proſunt & mollia poma
Chaoniæ foliis Quercûs enata, meroque
Atque Marum infuſum, Pini ſquamæque rigentes
Conorum, ſuccus, quem fundit Acacia Nili
Accola, coccineas quas baccas Oxyacanthus
Sufficit, & Coryli Juli florentis, odoris
Spongia nata Roſis, & ſemina flava, frequenti
Agmine quæ medio in floris cernuntur, amara
Ruta, Myrobalanus Bellerica dicta, nuceſque
Moſchatæ, atque Acinos, recutita & Amygdala, baccæ
Viburni, Filicis radicis fumus in alvum
Incenſæ exceptus, nigra Reginæque comantis
Pratorum radix, & Juncus floridus: illi
Jure omnes meritò Junci ceſſere volentes,
Florum tantus honos, tanta eſt præſtantia formæ
Egregiæ; umbellam denſi hi glomerantur in unam,
Et quinis conſtant petalis, hæc purpura tingit
Dilutè, junci eſt caulis vulgaris, arundo
Qualia producit folia, huic ſunt, eſt brevis illi
Et radix fibrata, venit prope flumina, lentos
Atque lacus, foſſas, & inertia ſtagna, paludes.

Immatura juvant Malus quæ Perſica poma
Sufficit, auſterumque Pyrum, quod frigida ſemen
Portulaca dedit nigrum, quod mille decorum
Eſt Chiliophyllon foliis, quodque India mittit
Panicum: huïc nomen Græci fecere μελίνην,
Atque ἔλυμον; Diocles mel frugum dixit: ariſtæ
In terram vergunt teretes, flaventia ſpicam
Semina componunt, nunc alba, rubentia ſæpe;
Bis ſenos longa eſt digitos radix, foliumque
Accedunt Milio, & culmus; feliciter udis
Naſcitur hoc arvis. prodeſt atque aſpera vini
Concreta in cruſtam quæ fæx, ſtomachi regioni
Admota; atque avibus Phalaris quæ grata canoris
Eſca placet: culmi huic fragiles, nodoque frequenti
Diſtincti genuum in morem; ſunt, qualia fundunt
Hordea, huïc folia; in ſummo quæ vertice ariſtæ,
Semine ſunt fœtæ coceo, milio haud alienæ:
Inſulæ alant fortunatæ, atque Hiſpania paſſim;
Eſt alia & ſpecies, quæ non ita diſpar, ariſtæ
Squamoſæ lupulos niſi quod ſatìs ore referrent.

DIURETICA.

OBSTRUCTOS reſerant renes, facilemque meatum
Urinæ præbent; Abſinthia, Carduus omnis,
Ilicis atque comæ virides, Anonis, & alba
Saxifraga aggeribus creſcens, Seſelique Britannum
Pratenſe, Aſparagus, Plantago, Peucedanumque,
Majoris ſemen Bardanæ, Aquilegia, Ruſcus,
Hypericon, Kali, Lupulus, Biſlinguaque, baccæ

Juni-

Juniperi, radix Acori, floreſque Geniſtæ,
Agreſtis Raphani radix, & Valeriana,
Et Tiliæ folia & cortex; teneræque flagella
Urticæ, & ſemen, Scorodonia, Salvia vitæ,
Atque Paludapii ſemen, Siſonque, Xyriſque,
Fœniculum, Rubia, & Veronica, Fraxinus alta,
Betonica, Eryſimum, Periclymenon, atque Chamædrys,
Solanumque trahens veſicæ à nomine nomen,
Barbarea, atque Meum, crebris & pendula filis
Oenanthe, bulbiſque nigris onerata; Fabarum,
Atque Chamæmeli flores, Calamintha, Crocuſque,
Optima cenſetur terris quæ nata Britannis;
Atque Apii ſuccus viridis, radixque, leonis
Dens, Aſarum, Daucus, Dictæâ qui venit Idâ,
Et noſtras; redolens Coſtus, Dictamnus & albus,
Fraxineo folio; major Galanga, minorque,
Atque Ebuli cortex, Orobus, ſpiniſque Geniſta
Horreſcens denſis, Bupluron, Ruta, Sabina,
Salvia, Sambucus, Satureia, virentia Piſa,
Juncus odoratus, Serpylla & olentia, Pecten
Idaliæ Veneris; quo digerit ordine crines
Compta Dea, & fluxos in nodum colligit; Arum,
Rugoſumque Piper, Serratula, Cæpa nociva
Luminibus, Seſeli, quod fert Ægyptia tellus,
Helxine muris hærens, & Ptarmica, Coſtus
Indica, & Origanum, ſpumâ fœtumque Papaver,
Lampſana lacte fluens, læſis & amica papillis;
Pinguicula orta locis humentibus, & Petaſites
Marginibus creſcens rivorum, Phaſeolique
Incensâ lectum ſtipulâ ſal, poma ſalaxque

Quæ fert Muſa, Thymum, Myrtuſque Brabantica, radi
Capparidis, Veneris qui dicitur umbilicus:
Eſt radix bulboſa illi, ſuffultaque fibris
Exiguis, folia & ſunt pinguia, craſſa, rotunda,
Turgida quæ ſucco, mucoſus in ore ſaporque
Glutinis eſt, cauliſque triplex, plerumque pedemque
Vix ſuperat medium, nonnunquam vertice ſummo
Spargitur in ramos felix, flores & ab imo
Supremos tenuere apices, campanula forma eſt
Concava; candeſcunt niveo infectique colore,
Semina ſeminibus ſunt & Plantaginis æqua;
Muros, quos ſenſim labefecit longa vetuſtas,
Elegit ſedem. Beta alba & Smyrnia, Napi
Juvere, & Pyrethri radix, Aſtrantia odora,
Abjetis & lignum, Dentaria, & innuba Laurus,
Chaoniæ glandes atque arboris, Hydropiperque,
Et Milii ſemen, Cicer album, Eryngia, Carum,
Atque Eruca ſalax, Cochlearia pinguis, Anethum,
Et Siſeris radix, Adianta atque aurea, Squillæ,
Atque Cyclaminus Celtarum, atque Indica Nardus,
Allia, Sphondylium, crebrâque Aſplenion alâ,
Pulegium, baccáſque ferens Fragaria rubras,
Quamque Ariſto-olim Græci dixere-lochiam,
Atque apio dulci cognata Leviſtica, Aniſum,
Carlina albeſcens, longi radixque Cyperi,
Cardiaca, & Chærophyllon, Crithmumque marinum:
Quod ſucco turgens latè diffunditur, altum
Bis ſex eſt digitos, folia huic ſunt æmula olentis
Fœniculi foliis, ſed lata magè, & breviora,
Craſſitie & vincunt, nec tantùm inciſa; ſaturque

Eſt viror, atque acres ſapiunt ſalſa æquoris undas;
Eſtque color caulis porri inſtar, craſſaque radix,
Et longa, in multos vivit durabilis annos;
Acer in ore ſapor, nares demulcet odore.
PHOENICEÆ & flores proſunt Anagallidis, udo
Pimpinella ſolo quæ naſcitur, & Melilotus,
Lutea amans ſegetes, radix evulſa canini
Graminis, Althææ radix, redolenſque bitumen
Trifolium, triſti quæ fœta Hieracia ſucco,
Hepatica & trifidis foliis notiſſima, flore
Cœruleo, obſcuri durum ſemen Lithoſpermi:
Pollicis in molem radix huic æmula ligno
Duritie creſcit; non illi frigora brumæ
Officiunt, fibris terræ eſt affixa tenellis;
In plures caulis ramos ſe ſpargit, acutus
Anguſti eſt mucro folii, flos naſcitur albus
Ex mediis foliorum alis, & quatuor illi
Semina ſuccedunt, quæ parvula, lævia in ovi
Curvantur ſpeciem, cinerum eſt color, eſſe polita
Credideris; ſteriles terras, locaque obſita dumis
Affectat, ſepes, crebro & calles pede tritos.
LENTICULÆ & juvere maris, Linaria flore
Luteolo, morſum rictu intentanſque minaci,
Atque Tragoriganum, radix Petro-que-ſelini,
Terreſtreſque nuces, ſuibus gratiſſima præda;
Phegopyron, Libanotis, olenſque Lavendula, aquiſque
Quæ creſcunt paſſim Naſturtia amara, Siumque;
Floribus Onobrychis Tyrio fulgentibus oſtro,
Quodque Apium ſummis Oreo-dixere-ſelinon
Montibus inventum Graii, Malabar Malobathrum

Quod mittit regio; ſummas ſuper innatat undas
Nymphææ in morem; vireatque, quod eligis; atrum
Reſpue; nam languent effœto in corpore vires.
JUVERIT & radix dilecti Phœbo Hyacinthi,
Narciſſi bulbus formoſi, tritaque radix
Aſphodeli in vino, mulſo miſtumque Sinapi;
Porrum inter vites naſcens, & Rapa rotunda,
Atque pyrum referens Raphanus radice nigranti,
Doria Lobelii, ſubtriſtibus Intyba fibris,
Allium & urſinum, quæ dicta Chamæpitys herba,
Lutea Matthiolique Coris, Cichoreaque flore
Cœruleo, redolens Libano quæ venit Arundo,
Dicta à centenis & Centinodia nodis,
Ocymon & foliis bene olentibus, Hordea cocta,
Cardiacæ in vino pulvis, Sampſuchus odora,
Et ſcabiem tollens Scabioſa, infuſa Falerno
Baccharis & radix, & amara incocta Lyæo
Enula, quæ creſcit campis humentibus; udis
Quæ veniunt pratis Parnaſſia gramina; ſemen
Et cucumis, crebrâ ſquamâque rigens Orobanche,
Ledanon in Ciſto natum, lacrymæ Terebinthi
Oriciæ, infelix quæ ſemina dat Paliurus,
Conorum pini ſquamæ, cortexque; Reſeda
Et Plinî, cunctos fertur ſedare dolores,
Hincque datum eſt nomen, dura eſt, lignoſaque radix,
Qualia fert folia huic ramoſa Coronopus; inter
Hæc oritur caulis craſſus, elatus in auras
Itque pedes binos, in ſummo vertice flores
Exigui flavent, ingratus naribus ollis
Eſt odor offenſis, viſûs & ſemina parva

Penè

Penè aciem fugiunt, ſapor eſt guſtantis in ore
Erucæ triſtis; quà calx, & creta malignas
Denſa operit terras, ſcrupoſi & glarea ruris,
Hìc injuſſa viret, numeroſâ & prole ſuperbit;
Paſſim Cantium alit, ubi tellus tollitur altos
In montes, colleſque ferunt regione patenti
Ebranci virides. Pſeudo-ſemenque-melanthî
Profuerit nigrum, Romanæ grana Nigellæ,
Montanumque Siler, triſtis radixque Lupini,
Gingidium latis foliis, Hederæque virentis
Baccæ; Virgilii juvit radix & Acanthi,
Fraxineum ſemen; medici dixere periti
Linguam avis à formâ; bene olentia Cinnama, Lacca
Indica, quæ ſudat peregrinâ ex arbore, Eois
Quæ venit in terris: crebris illa optima rugis
Quæ contracta; croci color eſt cuï, quæque frequenti
Aſpera verrucâ eſt, claræque eſt pervia luci,
Dilutéque rubet nonnunquam, vix ſapor illi
Eſt ullus, facilè in flammas abit illa, & odore
Fragranti nares hilarat; baccæque Rubique.
Contulit atque apio quæ Caucalis æmula, grana
Frigida Melonum, repenſque Cucurbita, & Ammi.
Pavame Indorum, quem dat Ceratonia fructum,
Atque Elaphoboſcon, Cretenſe Hippo-que-ſelinum,
Aſtragalus Cluſii, quem fert Hiſpania; caules
Huic rubri in cubitum ſurgunt, craſſi digitumque,
Sulcus arat creber, mollis lanugoque veſtit;
In plures læti ramos funduntur, & illis
Sunt folia in morem plumarum expanſa, frequentes
Hæc inter veniunt flores candore nivali

Conſpicui

Conſpicui, triſtis florumque eſt forma lupini,
Egreſſi nondum calycis de tegmine flavent
Dilutè, nigro eſt radix infecta colore,
Craſſa ſatìs plantæ pro mole, trifurca, palato eſt
Ingratuſque ſapor; cornu certaverit illa
Duritie; natale ſolum eſt lapidoſaque terra,
Quæ cooperta nive, Æoliiſque obnoxia ventis.
PROFUERINT multùm hìc & frigida grana Peponum,
Atque Lycopodium, meretricibus illa nefandis
Nota nimis planta eſt; confert fruticanſque Triphyllon,
Impensè virgulta virent huic plurima lenta,
Quatuor, aut quinos cubitos tolluntur in auras;
Sunt folia his Cytiſi, ſaturo quæ tincta virore,
Sunt crocei flores, ſenis conſtant petaliſque,
Æmula jaſmini florum queis forma; fuiſſe
Hinc malè nonnulli decepti errore putârunt
Jaſminum flavum; dilapſis floribus atræ
Succedunt baccæ, piſique figura rotunda eſt,
Atque eadem moles, ſambuci more prementûm
Et tingunt digitos infectos, ſemina parva
Includunt lentis compreſſa; puſillaque radix
Sub terrâ longè & latè ſerpendo vagatur,
A vi nonnulli Chilio-dixere-dynamin:
Monſpelium hoc aluit, colles quâ multus apricos
Exurit Phœbus, quà ſunt denſiſſima Olivæ
Palladiæ nemora; in ſylvis Gramontia nutrit,
Parthenope & ſacri vatis memoranda ſepulchro.

DYSENTERIA.

SI fluxum ventris ſanguis comitetur, opemque
Plurima jam tentata negant, & Apollinis artem
Vis morbi eludit; tu ne vulgaria temnas,
Quaſque benigna parens medicas humus educat herbas.
Audaces protende manus, & veris honores
Hoſpes gratus adi: carpenti plurima ſeſe
Turba volens offert: en Berberis, en Cynogloſſum,
Clematis & pulchræ debens ſua nomina Daphne,
Flore rubro Lamium, Plantago, Polygonumque,
Lens, Muſcus, Tiliæ baccarum pulvis, & auro
Virga nitens fulvo, Chirurgorumque Sophia,
Auricula & muris, Verbena aſſueta ſacriſque,
Et folia, & cortex Pruni ſylveſtris, & oſtro
Spinæ albæ fructus qui concolor, immaturæ
Et Mori baccæ, Schœnanthon, Fungus & ortus
E Betulæ trunco, niveiſque interlita guttis
Symphyta, collo Iris crebróque appenſa; Draconis
Sanguis & effuſus venis; eſt æmula pino
Arbor, & æternùm frondeſcit; brachia truncus
Longa novem cubitos æqualia fundit, & æqua
Craſſities cruri eſt; cortex ſcabra eſt, tenuiſque,
Sunt folia in ſummis ramis ſat craſſa, patentque
Plus binos digitos, in tres porrecta pedeſque
Plerumque, ancipitem ſenſim & tenuantur in enſem,
Muſcoſi hæc inter flores; pereuntibus illis
Succedunt baccæ, ceraſi quæ mole rubentes
Exæquant fructus; color aureus, eſt ſapor ore

Subtriſtis,

Subtriſtis, triplici & tutæ ſervantur amictu,
Hôc ſpolio, formam cernes horrere draconis
Immanem, patulo fauces pandentis hiatu,
Armato ſpinis dorſo, caudâque tremendi,
Si qua tibi, Monarde, fides: quæ dicta Madera
Inſula alit, primùm fuſcis huc venit ab Indis;
Solvitur in lymphâ collectum gummi, oleumque
Vix facilè admittit ſocium, tingitque colore
Quæ contecta rubro, minimoque liqueſcit ab igne,
Ardet & in flammas conjectum ſulphuris inſtar.
PROFUERINT Pini cortex, & Myrtus amara
Idaliæ dilecta deæ, flores Hederæque
Incocti vino, ſiccataque ſemina Junci,
Tinctorum Rubia, & ſpinis Paliurus acutis
Arboris in morem ſurgens, eſt penè rotundum
Huic folium, impediat niſi decreſcentis acumen
Paulatim; crocei rutilant in vertice flores,
Sunt ſiliquæ clypeis ſimiles, & ſemina lini
Æmula; Idumæis paſſim reperitur in oris:
Dicitur hinc plexam capiti impoſuiſſe coronam
Impia gens Chriſti: quid non mortalia cogit
Pectora religio, cæciſque immerſa tenebris
Vana ſuperſtitio? quid non ſuadere malorum
Eſt potis, & ſacro prætexere nomine crimen?
Hæc potuit populos animare in ſceptra rebelles,
Regis & inſontis caput à cervice reciſum
Oſtentare palàm inſani ludibria vulgi;
Horrendum facinus! ſubitum quis fulmen Olympo,
Ut necis autores, totamque ab origine gentem
Everſam trifidis deturbem in Tartara flammis,

Expedit? in ſeros ſævit vindicta nepotes
Juſta Dei, necdum luimus delicta parentum.
Sed quid ego ingrata hæc necquicquam mente revolvo?
SEMINA Limonii juvere infuſa Falerno,
Sanguineo Lapathum ſucco, bulbique nigrantes
Oenanthes; nondum maturæ ſuccus & uvæ,
Succus Elatines, Vaccinia nigra, Equiſetum
Pluribus articulis compactum, Acacia, Gramen
Fomento fœtum, radix, quâ Perſica malus
Findit humum, foliis referens Ulmaria & ulmum;
Herbaque, quæ centum morbis eſt apta medendis,
Palmæ immaturi fructus, Hypociſtis & orta
Ex Ciſto brevis, & Ciſtorum exercitus omnis;
Interdicta ſacris Veneris caſtiſſima Vitex:
Exigua eſt arbor, blandi prope murmura rivi
Garrula amat naſci, ſalicis ſunt lenta flagella,
Et frondes, uno niſi quòd junctæ in pedicello
Quinque ſimul veniant, vulgaris Cannabis inſtar
Congeſti in ſpicam per ſummos undique ramos:
Sunt ferruginei flores, odor optimus illis.
Plurima ſuccedit Piperi mole æmula bacca:
Naſcitur hæc Italis, terris ſolique propinquis.
Cinnama contulerint, tenerâ & lanugine mala,
Sanicula affectans umbras, cæcoſque receſſus,
Chaonis atque arbor, Viburnaque amantia ſepes,
Quaſque operit ſteriles infelix glarea terras,
Cretaque, & hirſutâ expreſſi latices Aparine,
Injectumque alvo lentum gummi Tragacanthæ,
Criſpæ uvæ baccæ, queis nondum acceſſerit ætas
Matura, agreſtis folia atque virentia Olivæ,

Æthereas & aquas quas reddunt Sacchara flammis
Toſta diu, Omphacium, ſiccataque Gallia, Oryza,
(Navibus Hiſpanis multa ad nos venit ab oris,
Atque Italis); prodeſt vitians & lumina edentis
Infelix Lolii ſemen, radix & Acanthi
Hortenſis; folia huic ſunt lævia, lata, & utrinque
Sunt oræ inciſæ, media inter floribus altus
Pluribus aſſurgit caulis ſtipatus, & illis
Forma oblonga, nivis color eſt, ſemen ſiliquæque
Compreſſum includunt, mucoſo fœtaque ſucco
Radix nigra tumet, fœcundaque prole ſuperbit.
Eligit ille ſolum ſcrupoſum, atque humida ſaxa:
Verùm ubi terrarum, nondum conſtare fatendum eſt.
ARGENTINA pedum plantis ſuppoſta juvatque,
Si dictis, Hartmanne, tuis adhibenda fides ſit,
Hepatica & nulli affectans loca pervia ſoli,
Fontibus irriguas & crebrâ aſpergine rupes,
Rugoſum, foliumque virens, nunc ſtella coronat,
Nunc viridis fungus decorat, quæ ſunt vice florum.
SAXIFRAGA alba malo nec inepta putanda; rotunda
Fuſa & humi folia huic hederæ ſatìs æmula dictæ
Terreſtris, crebrâ limbum diſſectaque crenâ,
Dilutéque virent; erectus caulis in altum
Vix cubitum attingit, candent in vertice flores;
Pluribus ex fibris radix componitur atris,
Parvula grana rubro his hærent infecta colore,
Quæ malè nonnullis cenſentur ſemina; cùm flos
Semina producat ſiliquis contenta minutis.
Naſcitur hæc inter frutices Edonis ad oras,
Quà Corbeia domus ſubjectas deſpicit undas.

DISURIA

DISURIA.

GUTTATIM egreditur meienti urina, calorque
Excruciat vehemens, dum redditur? Utere Dauco,
Spongiolæ & cineres adhibe, quam dicta Canina
Dat Roſa ſæpe rubra, Bedeguar Lobelius illam
Appellat, Denſchlaff Germani; namque cubantis
Si capiti admoveas, inducit amica ſoporem,
Credas lethæo perfuſa papavera ſucco.
PRODERIT & Malvæ decocta, Rubique Syrupus
Mororum paſſim creſcentis, & omnibus hortis
Portulaca frequens, ſemenque Papaveris albi,
Caſtaneæ, & Scythicæ radix vetus incola terræ,
Oenanthes bulbi, Vitex & amica pudori,
Urſina & lato folio, Allia floribus albis;
In ventrem creſcens Cucumis, Lignumque Moluccum,
(Hoc vigili clauſis curâ ſervatur in hortis
Indorum, ne fortè aliis plantaria terris
Quis furto intulerit, vel ſemina ab arbore lecta)
Alchimilla minor Montana, Chamæpitys, herba,
Nubila cui nomen tribuerunt, Citrina Stœchas,
Heſperis allium olens, tellure & arundo paluſtri
Orta, nuces Pini, linguam mordenſque ſinapi,
Phillyrea æternis foliis, radix & acanthi,
Agaricum, eſt fungus laricis prope fluminis undas
Natæ Agari; celebrata Panax atque Herculis, illi
Sphondylii forma eſt; pretioſa hæc unguina ſudat,
(Opopanax nomen) croceo quæ infecta colore,
Naſcitur elatis in rupibus Appennini;

Dextera pars monti Tyrrhenum excurrit in æquor
Cautibus, Adriacis it at obvia læva procellis,
Urbe ab Alexandri, & Syriis venit optima terris;
Eſt alia & ſpecies, Venetis quæ floret in hortis;
Caulis ei crebris nodis diſtinctus in altum
Tres cubitos ſurgit, nonnunquam quatuor, alæ
Ramorum foliis utrinque onerantur acutis,
Alni quæ foliis nigræ ſunt æmula, flores
Candidi in umbellis naſcuntur, ſemina & illis
Succedunt compreſſa, color radicis & albus,
Quæ longa & craſſa eſt, læſæ de vulnere ſuccus
Ubertim manat, fulvo qui concolor auro:
Juverit & Polium tenerâ lanugine tectum
Montanum, fulvis rutilans virga aurea ramis,
Bugula cœruleis circundata floribus, ingens
Mole Pepo ſerpens, nullo non obvius horto,
Ardenti vellenſque Dracunculus ora ſapore,
Gingidium Hiſpanis quod paſſim naſcitur oris,
Non dauco abſimile eſt, niſi quod magè tenvia, nec ſint
Huic obducta pilis folia aſpera, triſtis in ore
Eſt ſapor, & ſat gratus odor; prodeſt Cilicumque
Gingidium latis foliis, & caule ſtriato,
Candeſcunt flores, contectaque ſemina lenta
Ad digitos hærent, radix albeſcit amara;
Hepaticæ Cordi, flore albo, ſemina; gramen
Parnaſſi vulgò quod dicitur, humida terra
Eſt natale ſolum; proſunt & gramina, dicta
Quæ Jobi lacrymæ; plures huic ceſpite ab uno
Emergunt caules nodoſi, ſeſquipedemque
Plùs minùs elati, fluvialis arundinis inſtar

Sunt folia, hæc inter naſcuntur germina crebrò
In ſtipulæ morem, pendent his ſemina ſummis
Lucida, queis glaucus color eſt, forma & Lithoſpermi,
Per medium grani cujuſque it ariſta foramen
Pertuſi ſterilis, loliique ſimillima, ſedes
Italia eſt natalis, amat loca ſubdita Phœbo
Ardenti, noſtris nonnunquam cernitur hortis;
Sed matura negant hìc ſemina frigora brumæ.
 Moschatæ & juvere nuces, radix Orobanches,
Nephriticum lignnm, redolentia Cardamoma,
Impatiens tactûs & Perſicaria; caules
Alti ſeſquipedem læves, teneri, virideſque,
Concavi, & articulis nodoſi pluribus, inſtar
Murorum Helxines pellucent, ſucco & abundant,
Nec Tyriis caruere ſtriis, ſunt Mercurialis
Huic folia agreſtis, paulò aſt majora, magíſque
Lateſcunt, color eſt palleſcens, plurima limbum
Crena ſecat, ſummo veniunt in vertice flores
Luteoli; guttis paſſim rubuere cruentis,
Conſolidæ calcar regalis & armat hiantes;
Succedunt illis ſiliquæ pereuntibus albæ,
Quæ ſua maturæ ſubitò tangentis in ora
Semina vi magnâ vibrant contorta: ad amœnos
Chemleti ripas hæc naſcitur: utilis herba,
Φθείριον eſt Graio quæ nomine dicta Pelaſgis.

EME-

EMETICA.

SI vomitum moviſſe velis, ſi corpore fæces
Deturbâſſe juvet lentas, ſtomachumque levare
Oppreſſum fœdâ illuvie, pinguique ſaburrâ
Ventris: vernantes quamprimùm conſule campos,
Nec pigeat nitidos Floræ divertere in hortos;
Uſibus hìc aptæ præſtò ſunt undique plantæ,
Erigeron, Aſaron, Betonica, Spergula, baccæ
Evonymi, radix Ebuli, ſemenque Geniſtæ,
Scala poli, bulbus Narciſſi, quoſque renaſcens
Dat Juglans julos, Hederæ baccæque virentis,
Atque Sedi minimi ſuccus, & proxima Lauro
Laureola faciem, flores Digitalis, & albæ
Atriplicis radix, Orchis palmataque, Napus,
Herba Eupatorium, nimiùm dilecta Avicennæ.
Sambucus craſſas inter non rara paludes,
Vulgari haud foliis, ſolis eſt æmula ramis,
Cortice, cui cinerum color eſt, veſtitur olenti,
Plurima & exiguæ tumet arboris alba medulla,
Candeſcit lignum fragile, & ſunt qualia viti
Huic folia, aſt illis multùm cedentia mole,
Umbellæ florum niveo velantur amictu,
Eſt & gratus odor, rubræ pereuntibus illis
Succedunt baccæ, clauduntur & oſſicula intus,
Quæ ſunt in parvi cordis formata figuram:
Utilis Antiphthoræ radix; quas Primula veris
Emittit, pulvis radicum; Thapſiæ olentis,
Atque Alni nigræ cutis intima, ſuccus amaræ

Et Cotulæ, Scillæ radix ſiccata, minutim
Conciſa, atque infuſa mero; Staphys agria ſemen
Quod dedit; erecti caules, fuſcique coloris,
Multifida huic folia, ſylveſtris & æmula vitis,
Cœrulei brevibus flores & caulibus hærent,
Napelli ſimiles; ſenſim pereuntibus illis
Succedunt ſiliquæ, queis ſemina clauſa trigona,
Aſpera tractanti, fuſcoque infecta colore;
Naſcitur Illyricis, Calabriſque frequenter in oris,
Nec facilè hìc noſtras potis eſt perferre pruinas.
Candidus Helleborus, proſunt Raphani Ricinique
Semina, & Aſphodeli radix, & olentia grana
Quæ tulit Anagyris, quæ dat folia innuba Laurus.

EMOLLIENTIA.

HÆC tibi maturant duros admota tumores,
Beta, Chamæmelon, Galeopſis, Mercurialis,
Cœruleæ violæ, ducenſque à pariete nomen
Herba frequens paſſim, Lapathum, Malvæque ſalubres,
Sphondylii radix, Atriplex, Althæa, Cicuta,
Alcea vulgaris, Rapum, Linum, Cynogloſſon:
Urticam, atque Sij foliis adhibere Selinum
Profuit, & Fagi frondes, Mediamque Conyzam,
Et ſemen Carphi; Græcum dixere Latini
Fœnum; caulis ei ſimplex, & concavus, indè
Sparguntur tenues rami, folia æmula at illis,
Quæ fert Trifolium, niſi quòd breviora; vireſcit
Pars quæ prona, color cinerum partemque ſupinam
Inficit, ex alis veniunt flores foliorum,

Qui

Qui nivei, multùm nec diſtat forma lupinis,
Succedunt ſiliquæ anguſtæ, longæ tenueſque;
Semen inæquale his includitur, eſt color illi
Luteus, autumno radix perit alba premente;
Vere novo rediviva venit; juvere virentis
Atque Alni frondes mucoſæ, Lilia odora, &
In Venerem impellens radix admota Orobanches.

Vide Tumores.

EPILEPSIA.

SÆPE quis exanimis ſubitò cadit, omnibus orbus
Senſibus, & diræ ſecum fert omina mortis:
Sint medicina mali Ceraſi prædulcia poma,
Pæoniæque potens radix, ſemenque Sinapi,
Et prata Oenanthe, Montanaque paſcua ſedem
Affectans propriam terris magis omnibus unam,
Et viſcus Druidum ſacris celeberrimus, imas
Quæque colunt valles nivis æmula Lilia, Tami
Radix, atque oleum Buxi, Succiſa, & odori
Aſperulæ flores, Digitalis, Primula veris,
Et Caryophyllus; quo non præſtantior alter,
Seu ſpeciem ſpectes, ſeu quos effundit odores
Ambroſios, flores inter; radix Tanaceti,
Phu magnum, Cuſcuta ſuis non viribus hærens,
Et Tiliæ latices, flammis quos exprimit ignis,
Bugloſſi flores, cor exhilarantis, amœni,
In vino infuſi, Violæ ferrugineæque,
Parthenium, radix condita Boraginis, Aſter
Italus, Hellebori radix albentis, Aniſum,

Stœchadis

Stœchadis & flores, Colocynthis amara, ſupina
Repit humi, ut cucumis, nec formâ eſt diſpare; arenis
Naſcitur ardentis Libyæ; non frigora cauri
Suſtinet, & terræ multùm eſt averſa Britannæ.
Juverit Opopanax, niger Helleboruſque, Pyrethri
Radix, Doronicum, agricolis damnata & Anonis,
Galbana, Lignum Aloes, Corallia rubraque collo
Appenſa, Agaricum, Lentiſcus, amara Galega,
Sphondylii ſemen, Puleia; Denſque caninus:
Nunc duo, nunc tria ſunt folia huic, & qualia olentia
Allia habent Urſina vocata, minora tamen ſunt;
In terram vergunt proclivia, caulis in altum
Flexilis exurgit palmâ vix; unicus eſt flos,
Non Artanitæ qui diſpar, Dactylo abhorret
Nec radix formâ, crebrâ eſt ſuffultaque fibrâ:
Naſcitur Helvetiis, Germanis naſcitur oris,
Hunc Mutina, atque Pado vicina Bononia gignit.
Contulerintque Thymi multùm ſuffimina odori,
Peucedani ſuccus, lentum redolenſque bitumen
Trifolium, Seſeli Jovis incunabula jactans:
Huic Chærophylli folium, ſed craſſius, altus
Eſt caulis cubitum hirſutus, ſtant vertice ſummo
Candentes florum umbellæ, cedentibus illis
Temporis invidiæ ſuccedunt ſemina formæ
Compreſſæ, extremas quaſi circumit annulus oras,
Occidit infelix moriturque hæc planta quotannis,
Vere novo æthereas jacto de ſemine in auras
Surgit. contulerint Eryngia nata marinis
Litoribus, Laſerpitium: craſſiſſimus illi
Eſt Ferulæ caulis, Eleo-retulere-ſelinum

Huic folia, ingrato nares feriunt & odore,
Umbellæ florum veniunt in vertice ſummo,
Qui crocei, angelicæ ſuccedunt ſemina, buxi
Queis color, eſt denſo defenſa à frigore radix
Tegmine, quæ lacrymæ manant de vulnere læſæ,
Dicuntur laſer, medicoſque adhibentur in uſus;
Africa alit, Libycæ regio & vicina Cyrene.
Quinque-juvat-folii radix, Ariſtolochia,
Quæ ſacra Junoni Lucinæ; miſta & aceto
Conyza; Anthyllis lentis folioque marina:
Pluribus hæc ramis oneratur, genvaque crebra
Diſtinguunt, palmum æthereas vix ſurgit in auras,
Huc illuc ſarmenta trahens, in vertice ſummo
Sunt flores ſtellam referentes, buxeus ollis
Eſt color; inſula alit, quæ vulgò dicta Thanetum.
Nec tibi diſpliceant Aſtrantia odora Tridenti
Nata jugis, ſævo multúmque inimica veneno
Scorzonera, placet docti Thlaſpique Cratevæ,
Lunarem paſſim violam dixere minores:
Huic duri, & teretes caules, qui brachia latè
Diffundunt, folia Heſperidis, crebroque notata
Dente, nec abſimiles, quos tingit purpura, flores,
Semina compreſsâ ſiliquâ clauduntur, acutus
Cujus apex, lunam, quæ nondum impleverit orbem,
Forma refert; tuniciſque tribus componitur, illæ
Quæ latus extremum claudunt, livore notantur;
Quæ media eſt, niveo pellucet candida amictu,
Pervia inoffenſos ducens per ſtamina viſus,
Hìc ſeptem, vel ſex hærentia ſemina cernas,
Quæ ſunt fuſca, ſapor guſtantis & acer in ore eſt.

Asphodeli est radix, bulboque onerata frequenti,
Sponte suâ venit Trinobantum in vallibus imis,
Londino bis sex passus & distat ab urbe
Mille, sed inventâ rarò lætabere prædâ :
Cui rosa dat nomen, ligni prodest oleumque.

ERYSIPELAS.

EXCRUCIAT sacer ignis, & urit corpore serpens,
Quamcunque arripuit partem, repitque per artus ?
Auxilium præsens veniat Cotyledon, acuti
Et Lapathi radix, Solanum, Lensque palustris,
Sylvestris mali succus, Linaria, Malva,
Bechion, & Rapum, Verbascum, Populus alba,
Triticeum pollen, gemmæque virentis Olivæ,
Succus Hyoscyami, contusa & Arundo, Cicuta
Socratis infamis letho, succus Coriandri,
Cœruleo splendens Anagallis aquatica flore,
Tristis Ruta, Sedum, contrita Papavera, succus
Spinosæ Acaciæ, ducensque à virgine nomen
Parthenium, radix Buglossi, atque æmula craccæ
Lens, Ophioglosson, flaventia Psyllia: rami
Huic teneri, & teretes, longis circundati & arctis
Sunt foliis, quæ densa pilis, glomerantur aristæ
Inque orbem squamis obductæ, plurimus indè
Flos oritur croceus, maturus semina claudit
Lucida, queis species est pulicis importuni,
Atque color ; genus est aliud, hôc dispar in uno,
Quòd ferat hybernas patiens impunè procellas,
Objectet boreæ & ramos illæsa comantes ;

Naſcitur Hiſpanis, Gallis & naſcitur oris.
Juverit & ſtricto mediis furibundus in undis
Miles aizoides gladio, non diſpar amaræ
Eſt Aloe folium, ſiliquæ bene brachia cancri
Vel chelas referunt, quæ nondum in luminis auras
Emiſſum involvunt florem, flos æmulus ipſe
Expanſus parvæ eſt Nymphææ candidus ; illi
Sunt petala atque ſtriâ tria quæ diſtincta frequenti,
Sunt vice radicum argutæ referentia chordas
Fila lyræ, in denſos pars eſt extrema capillos
Diviſa ; hunc craſſæ paſſim genuere lacunæ.

Vide Tumores.

FEBRIS.

PERFURIT, atque artus depaſcitur arida febris,
Excitat & varios confuſo in corpore motus,
Frigida dum calidis pugnant, humentia ſiccis,
Sæpe ſtatu & recto mens læſa evertitur ægro
Vi morbi, & magnos patitur concuſſa tumultus.
Proſunt hìc Violæ, Lichen, Rhæaſque papaver,
Geranium, fructus, quem dat Roſa dicta canina,
Mora rubi Idæi, Vaccinia, Denſque leonis,
Plantago major, & amaris Intyba fibris,
Carduus à ſtellâ dictus, repenſque Chamædrys,
Argentina manûs carpo, pedibuſve dolentis
(Cui ſalis, atque acris modicum miſtum ſit aceti,)
Admota, umbroſis creſcens & Lujula ſylvis,
Centauro & nomen debentia Centaurea,
Oxalis, Hypericon, Tanacetum, Lappaque major,

Et Ceraſi auſteri fructus, Verbenaque ſacra,
Sambuci baccæque, Sedi ſuccuſque minoris,
Et viſci pulvis vinis infuſus Iberis,
Alſine, Lupulus, Caryophyllata, Sinapi,
Et Pentaphylli radix, & juſcula Rapûm,
Parthenium, Angelica agreſtis, Pervinca, Cicuta,
Portulaca frequens hortis, nota omnibus herba,
Hordea, ſanguineis Fraga & ridentia moris,
Semina Melonum, gummi Gambogia dictum,
Bellidis & ſuccus, radix apto Petaſitæ
Exhibita in potu, ſemen quod Pſyllia præbent,
Criſpæ uvæ jure in tenui, Vaccinia rubra,
Aſſyrii latices Pomi, pulpa & Tamarindi:
Mole arbor prunum exæquat, ramis & opaca eſt
Crebris, & myrti foliis, quæ plurima in unâ
Sunt adverſa ſibi coſtâ, quos aurea Malus
Fert, flores illis ſimiles ſpecieque, coloreque,
E medio quorum truduntur bis duo, lanam
Stamina quæ referant mollem, ſiliquæque vireſcunt
Dum teneræ, cinerum maturis eſt color ollis,
Sunt longæ, & craſſæ, piceâ caligine pulpa
Grana operit, quæ fuſca, frequens atque angulus illa
Aſperat, Ægypti paucis reperitur in hortis,
Sponte ſuâ Æthiopum venit hæc ardentibus oris,
Atque Arabum; Phœbum ſequitur, mirabile dictu,
Æquoreas & cùm pronus deſcendit in undas
Nocte dolet triſtis totâ, & ſe contrahit ultro;
Aſt caligantes cùm primùm diſpulit umbras,
Et tulit orbe diem, ſe læta expandit, eois
Obviaque it radiis, & amore accenſa refulget.

Proſunt exertæ colubri ſatìs æmula linguæ
Atque Ophiogloſſa, & ſpinis quæ armatur acutis
Oxyacantha, frequens udis & Bugula campis,
Gratiola in vino decocta, & grata palato
Muſæ poma; ſolum natale eſt inſula Cyprus,
Bengala, & ardenti regio vicina Canopo.
Agaricum rubro, niveoque Ribeſia fructu;
Sebeſtena juvant pruna & peregrina, meroque
Pix commiſta, placens Guanabani candida pulpa;
Eſt longus ter ſex digitos hic fructus, amictus
Et cute prædurâ, viridi lanugine tectâ,
Quali cana ſolent horrere Cydonia mala;
Melonum in morem crebri veſtigia ſulci
Dorſum immane premunt, pars in tenue infima acumen
Deſinit, affixa & ramis pars altera adhæret
Caule ſatìs valido, in renis formata figuram
Semina nigreſcunt lucentia, plurima fibra
Exit & è mediis, commiſſo ſemine terræ
Enata eſt viridi foliis planta æmula lauro,
Quæ tenera interiit primæ ſub frigora brumæ.
Nec tibi diſpliceant ſucci, quos Punica Mala
Auſteros reddunt, calidis ſubjecta favillis
Nec poma, in pultem fuerint cùm cocta ſalubrem;
Inda Myrobalanus nec quæ Emblica dicitur; illa
Optima, librantis laſſat quæ pondere dextram,
Arbor alens parva eſt, filicis folia æmula quernæ.
Hanc Cambaia, Dabul, Bateca & Goa, Malanor
Producunt. biferæ juverunt fraga & Adrachnes:
Eſt fruticis genus; hæc rupes, jugaque ardua ſaxis
Incolit, hanc ſævæ nulla inclementia brumæ

Lædit,

Lædit, at æternæ cernuntur in arbore frondes;
Phœbææ folii facies eſt æmula lauri,
Et niſi quòd nullum prorſus diffundat odorem,
Laurus erat, læves rami, truncuſque rubeſcunt
Inſtar coralii, bis moris fertilis anno eſt.
Inſula alit magni Jovis incunabula Creta.
Profuerint leni Guayavæ & toſta ſub igne
Poma diu: eſt arbor non magnæ molis, opaci
Funduntur latè rami, qui ſunt tetragoni,
Sunt folia huic lauri ſatìs æmula, candidus eſt flos
Heſperidum mali, paulò ſed major, odoris
Eximii, facilè exurgit ſata ſemine, ſerpenſque
In morem vepris naſcentes atterit herbas,
Pingui inimica ſolo, noſtris nec fert aliena
Mala, virent primò, maturis eſt color auri,
Candida nunc pulpa eſt, ſaturo nunc ardet ab oſtro;
Quatuor in cellis clauduntur ſemina dura,
Qualia Meſpilæ habent, lapidoſis nec ſapor illis,
Nec nucleus; fuſco ſunt atque infecta colore:
India dives alit ſoli ſubjecta cadenti.
Cognata & Zizipho quos fert Oenoplia fructus
Contulerint; vix mole pyrum exæquaverit arbor,
Et trunco & ramis cinerum color, æmula & illi
Sunt Zizyphi folia, in digitos porrectaque binos
Lata unum, pars prona viret, candetque ſupina,
Alternoque ſibi reſpondent ordine; triplex
Vena ſecat tractim; foliorum enaſcitur alis
Candida congeries florum, pomo nec abhorret,
Qui ſequitur fructus, parvo; moles ceraſique,
Juglandiſque nucis nonnunquam; nec ſapor illi

Ingratus, durum officulum eſt huic inſtar olivæ,
Bis parit hæc flores, bis pomis fertilis arbos,
Vere novo, exutâ ridet cùm terra ſenectâ,
Cúmque die, noctiſque pares ſol fecerit horas;
Flumine quà Nilus ſitientia temperat arva,
Sponte ſuâ venit, & Syriis reperitur in oris.
Tertia lux febrim vel quarta reduxerit, ægri
Frigus & inſolitum tremulos ſi invaſerit artus;
Rutæ oleo dorſum prudens, oleove Sabinæ
Unge fovens medium; Leucoia & cum ſale carpo
Admoveas, adſit quæ dicta Coronopus herba;
Cardamoma juvant, dulcique infuſa Falerno;
Betonicæ pulvis, Calamintha in montibus orta,
Sanguinei radix Lapathi, Cuſcuta, Aſarumque,
Dictæum Seſeli, Pyrethri radix & Iberi,
Atque Chamæmeli ſuccus, baccæque rubentes
Solani; ſuccus, quem fundunt Citrea mala,
Cui vini æthereus vigor additur; Abrotanumque
Miſtum oleo unguenti in morem; Violæ tricolores,
Balſama, quæ mittit pollentia dives Idume,
Pavame Indorum, radix Aſtrantiæ odoræ.
Sin verò hæc fuerint fruſtra, & vis improba morbi
Necdum miteſcat, faveat nec dexter Apollo;
Dicta Peru cortex, alioque ex orbe petita
Arboris ignotæ, rebus ſpes unica in arctis,
Una poteſt diræ mala ſemina tollere febris.

FLATUS.

FLATUS.

INCLUSA in cæcis ventris penetralibus aura
Murmurat, indignata premi, & bella, horrida bella
Excitat egreſſum meditans, miſeroque tumultu
Corpus miſcet agens? Medicæ feliciter herbæ
Compeſcent rabiem, tempeſtatemque ſonoram:
Flos cuculi, Miliumque, Meum, Naſturtia, Thlaſpi;
Hìc neque defuerint pallentis grana Cumini,
Semina Fœniculi, Cari & bene olentis Anethi,
Et radix Ari ſiccata, Nigella, Apiumque,
Atque Tanacetum, & redolentis ſemen Aniſi:
Saxifraga alba juvat, Succiſa, Aſtrantia odora,
Allia, queis vigilem fertur ſopîſſe draconem
Colchis, & æripedes halantes naribus ignes
Edomuiſſe boves, cùm capta periret amore
Jaſonis, & ſævis arderent pectora flammis:
Peucedani ſuccus radicis & utilis, auro
Concolor; & Daucus Creteïs natus in oris;
Peſtiferæ hunc & alunt juga quæ vicina Genevæ,
Helvetiæ rupes, elato & vertice montes:
Fœniculi folia huic ſunt tenvia, caulis & altus
Eſt cubitum, ſummâ floreſque locantur in arce
Candidi, in umbellam digeſti, his forma & Anethi,
Longa & pallentis ſuccedunt grana cumini
Æmula, olet radix, acrique imbuta ſapore eſt.
Involvens prodeſt & cortex citrea poma,
Nux Moſchata, Macis, redolentia Cinnama, & Iris,
Idæum Seſeli, flores Roriſque-marini,

Aſpalathuſque rubens, Zedoaria odora, Galanga,
Zinziber, & Siſeris radix infuſa Falerno,
Guaiacum, Nardus, baccæ, quas innuba Laurus
Sufficit, atque oris Eryngia nata marinis,
Laſcivis vitex & deteſtata puellis
Semina quæ præbet, Ruſci ramoſaque radix,
Pulegium, Rutæ ſuccuſque injectus in alvum,
Pratenſe & Seſeli, bene olentis copia Thymbræ,
Atque Paludapium, redolentia Cardamoma,
Antiphthoræ radix ſævis inimica venenis,
Montanumque Siler, Ligurum quod naſcitur oris,
Non procul à Genuâ, quà tellus altior extat,
Et tumet in colles, crebris juga & ardua ſaxis;
Eſt Ferulæ caulis, cubitos duo ſurgit in altum,
Peucedani foliis folia huic ſatìs æmula, ſed ſunt
Lata magè, umbellæ Angelicæ ſunt vertice ſummo,
Semina ſuccedunt, quæ longa, & grana cumini
Pallentis referant, acrique imbuta ſapore.
Montibus Emathiis naſcentia Petroſelina
Juvere, atque apio cognata Leviſtica odoro,
Bardanæ radix majoris, Lappa Latinè
Dicitur hæc meliùs; Dictæum & profuit Ammi:
Sunt folia, umbellæ & Dauci Cretenſis, & aurum
Provocat huic croceo radix infecta colore,
Seminibus ſapor Origani ſatìs acer, odorque
Optimus, & facies non multùm diſtat; ab oris
Huc veniunt ad nos Venetis, mandataque terræ
Sæpius hìc vanâ ſpe lactavere ſerentes,
Nam priùs his, doctâ quàm vendat callidus arte
Mercator, vires genitales enecat igne.

Coſtus odorata eſt nec inutilis, utilis illa &c,
Quæ triſti fauces offendit amara ſapore.
Montibus Idæis naſcentia Smyrnia proſunt,
Amanique jugis, Cilicum qui finibus arcet
Perpetuo Aſſyrios dorſo; quæ proxima terræ
Sunt folia, & primâ venere ſuperba juventâ,
Rectè apium referunt; verùm cùm firmior ætas
Venerit, & validus ſurrexit in aëra caulis,
Mutantur, formam prorſuſque oblita priorem
Degenerant, patulum & diſci glomerantur in orbem,
Amplexuque avido ſtringunt ut amantia caulis
Perfoliatæ inſtar, croceoque infecta colore,
Flaveſcunt, diverſa ſibi, nec Bechio abhorrent,
In ſummo umbellæ cernuntur vertice fulvæ,
Semina ſuccedunt, quæ nigra, & qualia præbet
Braſſica, & ingratum Myrrhæ retulere ſaporem,
Craſſaque candenti radix veſtitur amictu.
Triſtia & adfuerint, quæ Abſinthia frigida pontus
Mittit, Juniperi baccæ; queis pulcher Adonis
Nomina dat, flores; paſſimque in ſepibus orta
Caucalis, Origanum, Petaſites apta ciendo
Sudori, cura Indorum Lignumque Moluccum,
Balſaminæ folia imbellis, Piper, obvius hortis
Et Draco, Doronicum, malè grato & Cotula odore,
Heſperis allium olens, & quæ, mirabile dictu,
Mentha catis fit præda aliò traducta protervis,
Deluſos fallit jacto de ſemine nata;
Dictamnum, læſis jaculo benè cognita cervis
Herba; venit paſſim Phrygiis in montibus illa;
Acer Puleii ſapor eſt, ſpecies eademque,

Ni majora forent, canâ & lanugine amicta
Huic folia, in ſummo caulis ſunt vertice ariſtæ
Obductæ ſquamis, albeſcens eſt color illis,
Sampſuchi ſpicas referunt quæ, parvi oriuntur
Triticei hinc flores, Tyria hos & purpura tingit;
Succedunt illis & ſemina plura minuta:
Eſt genus atque aliud, Pſeudo-dixere Pelaſgi
—Dictamnum, formâ nec multùm diſpare, at illi
Nullus odor gratus, nullus penetrabilis urit
Guſtantis ſapor ora, rotundus, mollis & illi
Tractanti eſt caulis, tenerâ & lanugine canet,
Articuli plures, atque internodia crebra
Diſtinguunt, totidem folia hinc enata vireſcunt,
Bina ſibi oppoſita, & niveo quæ vellere tecta,
Dilutéque rubent flores, caulemque coronat
Pulegii in morem florum, ligno æmula radix
Nec perit, aſt plures ſupereſt durabilis annos.

FLUOR ALBUS MULIERUM.

SÆPIUS exundant ductus matricis, & alba
Profluvia imminuunt vires, gratoque colori
Succedit pallor, manuumque pedumque tumores
Excruciant, medium dorſi dolor occupat ingens,
Nauſeat, & quæcunque alimenta avertitur ægra?
Argentina incocta juvat ferventibus undis,
Proderit & paucos fluviales addere cancros;
Nec tibi diſpliceant Paronychia candida, rutæ
Perſimilis folium; quercûs glandes, cupulæque,
Sylveſtriſque roſæ flores, flores Lamiique

Candiduli, Oenanthe, Pervinca, Sophiaque dicta
Chirurgûm, Plantago, Rubus ſylveſtris, & acris
Berberis, Urticæ ſuccus, & nomen Achilli
Herba ſuum debens, & centum nota medendis
Morbis planta, frequens humentis & incola terræ,
Bardanæ ſuccus radicis miſtus Ibero
Qui vino, & croceis, quos circuit unda, vitellis,
Candida, & excuſſas prudens Jovis arbore glandes
Adjice, moſchataſque nuces; manè hinc bibat ægra
Jejuna, atque iterum furvis cùm obſcura tenebris
Nox operit terras, & molli lumina ſomno
Declinans placidam ſpargit per membra quietem.
Symphyta profuerint majora, & ſemen Aniſi,
Lichenis fumus genitali exceptus ab arvo
Arborei; pars dilutè, quæ prona, vireſcit,
Rugâ & inæqualis crebrâ eſt, interlita guttis
Et niveis paſſim, pellemque ſupina paratam
Fuſca refert, ſatìs eſt pulmonum atque æmula forma,
Hinc illi nomen proprium poſuere minores.
Et proſunt Nymphæa, nucumque putamina Abellæ,
Quercubus innaſcens muſcus, floreſque Myricæ:
Dilutè rubet huic cortex, ſunt qualia Ericæ
Et folia, hæc inter muſcoſi atque undique flores
Purpurei ex albo naſcuntur, ſemina pappo
Molli induta volant, quò ventus pellit, & aura;
Radix dura riget, variiſque anfractibus errat
Obſcuram rimata viam; quà flumina rauco
Murmure agunt fluctus, ſudantque aſpergine rupes,
Non invita venit, terræ eſt & amica paluſtri,
Germanis, Italis, Græcis & naſcitur oris;

Terris

Terris orta, ſuis Nilus quas irrigat undis,
Arboris in juſtam ſurgit ſæpe alta ſtaturam,
Et gravidi gallis rami ſub mole laborant.
Horminum prodeſt, poliendo atque utilis auro
Hippuris, craſſas inter non rara paludes,
Immemores reddens patriæ guſtataque Lotus,
Abjetis & gummi, Lentiſcus, & Uva marina:
Plures huic caules ſimiles equiſeti in acutum
Mucronem ſurgunt, foliis caruere, frequentes
Ex albo virides flores denſantur in unum,
Idæique rubi baccis ſunt æmula mora,
Ex rubro flavum ducunt matura colorem,
Dulcis in ore ſapor, ſunt ſemina dura trigona,
Creſcit in obliquum radix, diſtincta frequenti
Articulo; proſunt Veneri dilectaque Myrtus,
Viburni baccæ lenti, Roriſque marini
Incocti vino flores; cineres teneræque
Goſſipii lanæ: cubito vix altior unquam
Eſt caulis, ramis oneratur, lata coloris
Sunt folia incani, tractanti & mollia, vitis
In morem plura & diviſa in ſegmina; ſummas
Oras crena ſecat paſſim, flores bicolores,
Pars extrema croci flavo eſt infecta colore,
Purpureo media aſt quæ pars, accenditur igne;
Succedit fructus parvum glomeratus in orbem
Mole pilæ, quam fertque, refertque reciprocus ictus
Ludentûm, niveæ & farcitur vellere lanæ,
Quod grana involvit nigro ſaturata colore,
Mole æquant piſa, & parvum curvantur in ovum;
Quatuor in partes, cùm plena acceſſerit ætas,

Diſſiliunt ſiliquæ, & ſemen, lanas tenueſque
Sponte vomunt. necdum maturæ ſuccus Olivæ,
Atque Stachys Fuſchî, coriis nec inepta parandis
Rhus juvere: juvant lacrymæ, quas & Sycomorus
Vere novo ſudat: mori moles, ſpecieſque,
Et folium eſt fici; fructus non ille tenellis
Virgultis oritur, ſed duri è robore trunci
Ramiſque antiquis, validos quos longa vetuſtas
Reddidit; incluſa in pulpâ ſunt ſemina nulla
Prædulci, læſo de ſtipite lacteus exit
Ubertim ſuccus; Tauro contermina monti
Caria alit, Rhodos & celebri memoranda coloſſo,
Cujus crura inter plenis ſubiiſſe feruntur
Ingentes portum velis immania puppes;
Pyramidum jactans alit & miracula Memphis
Barbara; fœcunda hæc fructus fert ſæpius anno.

FONTICULI.

NE tumor exurgat, Hederæ prohibere recentis
Dicuntur folia (hanc Helicem dixere Pelaſgi)
A ſapone trahens & Saponaria nomen,
Helciadæ Borith vocitant oracula vatis:
Lubricus eſt caulis, lævis, teres, atque frequenti
Præditus articulo, cubito ſæpe altior extat,
Lata patent folia, & venæ plantaginis inſtar
Intumuere, ſibi reſpondent ordine bina,
In ſummo plures naſcuntur vertice flores,
Qui modò purpureo, niveo modò ſplendidi amictu,
Sanguineis certare roſis modò poſſe videntur,

Plura atque in medio ſunt tenvia ſtamina, longus
Eſtque calix, radix obliquo tramite ſerpens
Craſſa viget: fluvios, rivoſque amat illa ſonoros;
Nec facilè eruitur, quibus in conſederit arvis
Fixa ſemel: ſpecies alia eſt, cui plurima radix.
Summum longa ſolum radit, fibraſque frequentes
Emittit ſparſim; craſſuſque enaſcitur indè,
Et pinguis caulis, quemque internodia crebra,
Genua & inæqualem reddunt; nunc ſingula quoque
E nodo folia emergunt, nunc plura, nec ullus
Eſt certus numerus, caulemque amplexibus arctis
Conſtringunt tenera; aſt cùm jam maturuit ætas,
Evolvunt ſeſe, folia & plantaginis illi
Æmula cernuntur, variis diſtinctaque nervis,
E ſummis flores foliiſque Volubilis albi
(Extremas tingit ſed purpura marginis oras)
Naſcuntur: venit in ſylvâ, cui Spinea nomen,
Quæ prope Lichbarrow, non magni eſt nominis illud
Oppidulum; lætos ubi Northantonia campos
Jactat, & irriguas non uno flumine terras;
Hanc Nenus, hanc placidis Welandus & alluit undis,
Et Charwellus aquis: hìc primùm fortè Gerardus
Herbarum cultor ſolers invenit, humoque
Hìc ſurgit, rutilis aperit cùm cornibus annum
Taurus; & æquales ubi noctis fecerit horas
Libra die, flores maturaque ſemina præbet.

FRACTURÆ.

FRACTURÆ.

OS tibi luxatur, vel frangitur? impiger imas
Erue radices fodiens, quas Ruſcus acutis
Horridus in foliis, & quas tibi Symphyta, quaſque
Herba frequens præbet Salomonis dicta Sigillum.
Profuit & Xiphion: folia huic ſunt iridis inſtar,
Sed magìs anguſta, & viridi ſaturata colore,
Quæque oleant attrita manu, nares graviterque
Offendant læſas; teres eſt, & plurimus illi
In ſummo caulis; flores ferrugine tincti
Obſcurâ referunt irim, tractus tenueſque
Diſtinguunt, croceo modò qui riſere colore,
Et modò purpurei rubro accenduntur ab oſtro;
Piſi mole rubent maturaque grana, triquetris
Incluſa in ſiliquis, radix & longa frequenti
Donata eſt fibrâ. Proſunt Myoſotis, Acanthus,
Bugula cœruleis ſtipataque floribus, udis
Orta locis, Ulmi cortex, Dentaria, odorus
Narciſſus junci foliis, Lunaria major,
Et minor: hæc terris pinguis caput exerit, uno
Contenta eſt craſſo folio, impenſéque vireſcit,
Cauliculus teneræ digitum æquat; floribus aſt cùm
Induitur, quartam partem pedis altus in auras
Tollitur, & ſeptem foliis oneratur utrinque,
Quæ referat Phœben, medium cùm impleverit orbem,
Parte ſui mediâ cùm fulſerit æmula fratri,
Et mediâ fuerit furvis obtecta tenebris;
Subfuſcæ in ſummo ſunt plures vertice ſpicæ,

Exigua est radix, crebrâ donataque fibrâ:
Saxa colit prærupta, & densæ umbracula Ericæ;
Cùm sol per geminos, Pollucem & Castora, fratres
Difficile urgit iter, tauro post terga relicto;
Surgere humo placidi genitabilis aura Favonî
Invitat. confert radix & Lilii odori
Mucosa, in Venerem impellens tauros Orobanche,
Plantago major, Prunella, Sophiaque dicta:
Chirurgûm, atque echio cognata Anchusa; rubens cui
Ostro ardet radix; formæ queis cura, puellæ
Hujus pallentes accendunt sanguine vultus,
Hinc fucum linguæ docti dixere Latinæ:
Gallia alit passim, nostris & venit in oris,
Quà mare plangenti Thanaton circumsonat undâ.
Ipsa Cyclamini radix, gratissima præda
Quæ suibus, juvit, juvit Melilotus odora;
Exhalat gratas quæ, mollis Amaracus, auras.

GARGARISMIS IDONEA.

USIBUS his servit Fragaria, nobile gramen,
Plantagoque minor, nervo distincta frequenti,
Et Tribulus lacubus gaudens: huic plurimus imo
Surgit aquæ fundo caulis, longus, tenuisque,
Et sensim summas supra caput extulit undas,
In limum penetrat radix, quæ longa, frequentes
Fibrarum densæque comæ velare videntur,
Ordinibus certis, perque intervalla locatæ,
Populeis foliis folia huic sunt æmula, crebra
Limbum crena secat, fructus foliis sub opacis,

Atque inter latitant, forma eſt queis muricum ad inſtar,
Quos turmas inter ſpargi memoravit equeſtres
Curtius, ut læſos vexarent quadrupedantes;
Caſtaneæ ſapor eſt nuclei: Brabantia gignit,
Germaniſque frequens, Venetis & naſcitur oris.
Hìc quoque contulerint Leucoia incana, & odorum
Puleium, Bellis major, fœtens Cynogloſſum,
Aurea virga, Panax Chironia, Perfoliata,
Floribus & varias Aquileia imitata columbas,
Atque Periclymenon, Viburnaque lenta, Liguſtrum,
Juglandis ſuccus, Cochlearia, lutea & Oxys,
Biſtortæ radix, Vitis virgulta, Rubuſque
Vulgaris, fungus Sambuci, Urtica, Sinapi,
Thuriferæ cortex atque arboris: illa Sabæis
Præbet ligna focis, nuſquam non obvia campis,
Fortunatus Arabs lætos quos incolit, inter
Non ſatìs authores de formâ convenit; illum
Namque alii pino ſimilem dixere, aliique
Lentiſci huic folia attribuunt, aliique referre
Aſſeruere pyrum, folii docet eſſe recurvæ
Lobelius falcis formam, diſcordia tanta eſt
Scriptorum; pendens & adhuc ſub judice lis eſt.
Juvere & latices, læſæ qui è vulnere Fagi
Ubertim fluxere; juvant Succiſa, Cupreſſus,
Atque Paludapii ſuccus, Myoſuris, acutis
Acacia & ſpinis armata Ægyptia, Olivæ,
Et Tiliæ frondes redolentis, & Atticus Aſter,
Rapuntî radix: primùm quæ luminis auras
Hauſerunt, folia inſipidæ ſunt æmula betæ,
Lævia, lata, tamen multò ſunt mole minora,

In cubitum hæc inter cauliſque aſſurgit, amictus
Atque iiſdem foliis, ſenſim aſt tenuantur, apex eſt
Parvo & conferto ſtipatus flore comanti,
Qui vulpis ſimilis caudæ, quaſi cornua nondum
Expanſi flores, color eſt modò candidus ollis,
Et modò cœruleus, radix eſt pollicis illi
Craſſitie, candens. Myoſotis, Punica opemque
Mala tulere, rubus Dictæâ natus in Idâ,
Bugula, ſanguineo ſplendore accenſaque Mora,
Gallæ immaturæ, Leucoia & lutea, vitæ
Salvia ſervatrix, Schœnanthum, Pruna, Papyri
Et cineres; Memphim Deltæ, & Babylona ſuperbam
Illa colit, rapidi ſeptena atque oſtia Nili:
Sunt folia huic typhæ non multùm aliena minori,
Radicum è denſo quæ ceſpite nata triquetra,
Hinc bini, aut terni nudi caules oriuntur
Quadrati, ſeptem cubitos ſæpe ampliùs extant
Fluctibus ex ſummis, plures pulchro ordine inanes,
Diſpoſitæ & denſæ ſurgunt in vertice ariſtæ:
Creditur hinc factis Moſes vagîſſe per undas
Incluſus cunis tutus, cùm dura tyranni
Urgerent juſſa, Ægypti moderantis habenas.
Profuerint Myrtus, flores quos Primula veris
Vere tulit primo, Verbena, Hyſſopus olenſque,
Dipſacus & dorſum ſpinis armatus acutis,
Atque Chamæciſti ſuccus, ſuccuſque Myagri
Affinis Thlaſpi, Aſpalathum, ſemperque vireſcens
Phillyrea, & Lycium, niveo & Campanula lacte
Læſa fluens, ſimili madida atque Trachelia ſucco,
Si fuerit data plaga; Triphylla & olentia flore

Purpureo, gravis atque Ebulus, Biſlinguaque, & arbor
Althæa, genus eſt malvæ, flores foliumque
Non multùm diſtant vulgari, Aſterque marinus,
Tripolium vulgò dictus: ſatìs ampla vireſcunt
Huic folia, longa, & multùm ſplendentia, Glaſti
Queis color eſt livens, hæc inter caulis in auras
Exurgit binos cubitos, in vertice plures
Spargitur in ramos, cingunt capita alta ferentes
Cœrulei hos flores, funduſque eſt luteus illis:
Forma chamæmeli florum, qui tempore certo
Mutantur pappo, qui quò rapit aëris illum
Impetus, huc illuc fertur ludibria vento;
Longa eſt, & fibrâ radix ſuffulta frequenti.

GONORRHOEA, &c.

SÆPIUS illecebris Veneris malè cauta juventus
Capta, Dei leges contemnit, & impia ſecum
Furta animo volvens, media inter brachia amicæ
Impuræ, fœdi ſugit mala ſemina morbi,
Non facili removenda manu medicantis; & ingens
Occupat obſcœnas partes dolor, oraque mirè
Palleſcunt; tetrum diſtillat ab inguine virus,
Diraque per totum ſerpunt contagia corpus,
Ni citò ſuccurrant medicæ feliciter herbæ:
Hìc Plantago juvat, Nymphæaque, Denſque leonis,
Intubus, & Buxus, Lichenque, olidum Cynogloſſon,
Et Myriophyllon, Succiſaque, Salvia agreſtis,
A ſapone trahens & Saponaria nomen,
Polygonum, foliumque fabæ referens Menianthes,

Camphora,

Camphora, Pes Leporis, Balaustia rubra, Pyrethrum,
Myrtus odorata, & læsæ lacrymæ Terebinthi,
Bardanæ radix majoris, Sarsaparilla,
Guaiacum, Horminum, rapta à Jovis arbore cortex,
Consolida & major, Lupulus, Lichenque marinus;
Hepaticæ multùm non distat, nullus at illi
Omnino caulis, folia impenséque virescunt,
Ruga frequens sulcat, lactucam atque æmula crispam
Lata satìs referunt: mediis innascitur undis,
Quà scopuli sese pelago objecere frementi,
Scabraque sæpe suo gesserunt ostrea dorso:
Est genus atque aliud; foliis, mirabile visu,
Quod sibi connexis per mutua vincula fibræ
Exiguæ constat, foliorum forma rotunda est;
Ex albo viridis color est, in rupibus illud
Oceani exoritur, medium qui circuit orbem.
Rhenensi mali cortex infusaque vino
Punicei totos bis quinque ex ordine soles
Jejuno stomacho prodest epota, Pavame
Indorum, atque Ebeni lignum nigrantis, & imis
Quæ quæsita maris Corallia lenta sub undis,
Peucedani radix, Colocynthis amara, & Idumes
Balsama, & horrescens Nilotica Acacia spinis,
Pomi pulpa & aquâ tosti commista, Olivum
Carpino & elicitum, Caryophyllata, sitimque
Restinguant acidi gustati qui Tamarindi,
Portulaca frequens hortis, Uvæque marinæ,
Succisæ radix, major Scabiosa, comansque
Purpureo flore, & foliorum succus Eryngî,
Carduus & dictus benedictus; & Hernia nomen,

Herba,

Herba, cuï proprium tribuit; Cuſcuta Thymoque
Implicita, & Chinæ radix; veſtit cutis illam
Prætenuis, lævis modò quæ modò & aſpera crebris
Tuberibus, color eſt rufus, tingitque medullas
Ipſe ſibi conſtans imas; ex pondere virtus
Diſcitur, & duri commendant robora ligni,
Et novitas, putrem caries non ederit illam,
Vixque ſapor docto diſtinguat ſenſilis ore,
Iridis eſt illi ſatìs æmula forma paluſtris,
Si gereret plures implexos orbibus orbes,
Planta hinc exoriens ſpinis horrentia acutis
Virgulta emittit, quæ ſmilacis aſperæ & inſtar,
Maxima quæ digitum vincunt vix mole minorem,
Huic frondes latæ frondes plantaginis æquant;
Hanc Sinenſis alit regio, Malabarque, Cochinque.
Congeſtos croceæ baccæ retulere racemos.
Et Paphiam pellit peſtem ſudore Theveti
Achanaca, venit terris Phaethonte peruſtis
Inſano Æthiopum, nigris & Memnonis arvis,
Barbara quà quondam Memphis ſtetit, atque ubi paucis
Syrtibus infamis Senega immurmurat undis;
Cruris craſſitiem humani exæquaverit herba:
Caulis, qui foliis veſtitur, qualia fundit
Braſſica, ſed quæ craſſa minùs, ſulcata profundè
Plaga utrinque notat, bifidum eſt ſummumque cacumen,
Hæc inter crocei fructus venere, vocant quos
Alfard indigenæ, moles non ceſſerit ovo.

HÆMOPTYSIS.

SÆPE ſaliva fluit grumis commiſta cruentis,
Et dolor immanis pectus quatit; ilicet ægro
Labaſcunt vires: proſunt Scolopendria, major
Bardana, Urticæ ſuccus, Plantago, Cati pes,
(Gnaphalii genus eſt) in montibus ille frequenter
Præruptis oritur, flores nunc purpura tingit,
Nunc & olorinus color eſt, lanugine molli
Tangentûm dextras mulcens, nec ceſſerit ille
Byſſo, nec vincunt quæ nêrunt vellera Seres:
Clematis & pulchræ debens ſua nomina Daphne
Juverit, & Quercûs cortex, gramenque Caninum
Peſtis aratorum, argentum referenſque colore
Argentina, Salix, Plantago & aquatica major
Ramoſa, innumeris ornataque floribus albis;
Lentiſci lignum, Vitex & amica pudori,
Atque Chamæciſtus, foliis Phyllitis abundans,
Salvia, Acer, Cyani pulvis, ſanguiſque Draconis,
Mentha, Cynogloſſon, Corallia rubra, Cupreſſus
Lugubris, & Muſcus, major Biſtorta, Hypociſtis,
Sanicula & plagis ſanandis utilis, album
Marrubium, terræque Nuces, ignobile gramen
Cerinthe: huic caulis pinguis, lævis, fragiliſque,
Et tener, in crebra & ſe fundit brachia felix
Prole novâ, in terram quæ vergant, nec niſi fulta
Conſiſtant, propriis niti non viribus auſa
Pondere preſſa ſuo, ſpinis armata rigeſcunt
Et folia, informes quales in tergore raiæ

Geſſere

Geſſere horrentes; livent ferrugine tincta,
Candidulis referunt maculoſa & ſymphyta guttis,
Et multùm accedunt ſiliquoſæ perfoliatæ,
Amplexuque arcto caulem cinxere, ſinuque
Emerſere cavo flores crocei, tereteſque,
Conſolidæ ſimiles majoris, melleus illis
Sugenti ſapor eſt, ex fundo ſtamina plura
Tenvia naſcuntur, ſenſim pereuntibus illis
Semina ſuccedunt nigro ſaturata colore,
Forma rotunda quibus; noſtris eſt hoſpes in oris,
Itala at ardenti tellus vicina Veſevo
Hanc alit, & regio Ætnæis turbata ruinis.
Bechion & prodeſt, paſtoris Burſa; Amaranthus,
Non hunc horrentis læſerunt frigora brumæ;
Albus Hyoſcyamus, lacubus gaudens Menianthes,
Schœnanthon, niveis maculataque Symphyta guttis,
Portulaca hortis nullis non obvia, Tapſus
Barbata, à ſalice & ducens Salicaria nomen.

HÆMORRHAGIA.

HIC non diſpliceant Myoſurus, roreque lento
Rorella in mediis ſtipata caloribus, adſit
Et Tiliæ pulvis baccarum, Urtica, Salixque,
Vincaque Pervinca, & Glaſtum; Germania Rheno
Proxima producit, Latiis & venit in arvis;
Cœruleo ex viridi folia huic infecta colore,
Longa, duos cubitos caulis caput altus in auras
Extulit, in plures ſe ſummo in vertice ramos
Spargit, qui croceis onerantur floribus omnes,

Semina avis linguæ retulere nigella figuram
Compreſſis clauſa in ſiliquis, hæ pendulæ humumque
Aſpexere, cutis radicis & albicat illi.
Phyllitis nimiâ foliorum quæ exuberat umbrâ,
Cuique Ophiogloſſon nomen poſuere Pelaſgi,
Atque Ophrys foliis pinguis notiſſima binis
Contulerint, Fungi qui dicti pulverulenti,
Atque Lupi crepitus, Græci dicunt Lycoporda,
Collibus elatis emergunt, una nec illis
Eſt facies, nunc more pilæ glomerantur in orbem,
Nunc patulas referunt pateras, nunc cymbia, primùm
Cùm gremio è terræ capita erexere, colore
Sunt niveo, viridiſque fimo ſatìs anſeris udo
Accedit pulpa, aſt Phœbæo excocta calore
Inque ſenectutem vergens mutatur, & unà
Cum pelle albenti fumoſo pulvere fœtâ
Vertitur in fuſcum (ſic vult natura) colorem,
Dum verſas, preſſaſque manu, ne pulveris ulla
Particula inſinuet ſe oculis cave, namque tenebras
Infert, & cæcâ damnantur lumina nocte.
Profuit & Porri ſuccus, cui thus, & acetum
Miſta ſimul fuerint; folia & quæ Perſea fudit
Sicca, atque in partes multâ vi trita minutas;
Perſidis indigena eſt arbor, fructuſque nocenti
Dicitur hìc fœtus, ſi vera eſt fama, veneno;
Traducta in Pharios evadit mitior agros;
Diſſimilis non illa pyro, niſi amicta virore
Eſſet perpetuo, brumæque illæſa rigorem
Perferret gelidæ, folia huic ſunt laurea, flores
Et lauri, aſt crocei, rami curvantur olentes.

Cognato prunis fœtu, cui forma pyrique
Et moles, nigro ſaturatur & ille colore,
Effigiem cordis nuclei retulere palato;
Fuſca caro grata eſt, ſtomacho nec inutilis ægro.
Arbore in hâc cernas, queis plena acceſſerit ætas,
Maturos fructus, virides, alioſque ſub ipſum
Naſcendi ſpatium: hæc Hiſpanis viſitur hortis.
Contulerintque Panax Chironia dicta, paluſtres
Et Violæ, ſiccâ contritus & è cute pulvis
Suberis: eſt moles ſatìs ilicis æmula, truncus
Craſſior eſt, parcas rarique ſedentibus umbras
Sufficiunt rami, folia huic majora, magíſque
Lata, rotunda magìs, nonnunquam armataque ſpinis,
Crena frequens ſcindit, ſemper viruere in Iberis
Finibus, atque Italis, ſævæ ſecura pruinæ;
Aſt alibi virides pereunt à frigore frondes;
Arboris huic cortex ſpiſſa eſt, obductaque rugis,
Et ſenſim ſenio rimis effœta fatiſcens
Labitur, & rubro venit altera amicta colore,
Hirſuti calicis clauduntur tegmine glandes.

HÆMORRHOIDES.

DUM peccat ſanguis, vel copia magna redundat,
Sæpius obſcuris ani penetralibus ægrum
Tubera diſcruciant, & apertis undique venis
Ilicet immodicus ſequitur fluxuſque cruentus,
Citrinus ora color tingit, labaſcit orexis,
Proſtratæ & languent depreſſo in corpore vires:
Tu ne cede malo, ſed quas juſtiſſima tellus

Fundit humo faciles herbas, adhibere memento:
Elige de multis tibi millibus uſibus aptas.
Hìc tibi in irriguis ſylvis inventa Chamædrys
Promptam ſpondet opem, Linaria lutea, olenſque
Lingua canis, flores Verbaſci, & nuncia veris
Herba frequens paſſim, ducenſque ab hirundine nomen,
Vincaque Pervinca, & Ficaria magna, Geniſta,
Atque Lupi crepitus, Galeopſis fœtida, Fungus
Betula quem profert, Sorbus, Siderion, Arum,
Oenanthe, & ſerram referens Serratula dicta;
Pellucens Arabum gummi vitri inſtar, amara
Admota atque Aloe, ſemenque Papaveris albi
Somniferum, niveo Ficûs manantia lacte
Et folia, Angelicæ affinis Podagraria, odora
Punicei cortex mali, cognata rubenſque
Aſperulæ Rubia: huic caules longique, ſupini
Undique per terram latè ſparſi, tetragoni,
Hirſuti, genibus diſtincti, ſunt Aparines
Et folia, in ſtellæ morem formata, crocique
Dilutus florum color eſt in vertice ſummo,
Grana rotunda nigrum ducunt matura colorem,
Longa tumet ſucco radix, oſtroque ſuperba
Contendat Tyrio, ſummo contenta ſoloque eſt.
Mollibus & proſunt veſtita Cydonia villis,
Poma, & Hyoſcyamus, tangenti & vulnera dextræ
Intentans Rubus, Idaliæ dilectaque divæ
Myrtus, & Helvetiis veniens Libanotis ab oris
Dicta Theophraſti; crebra internodia caulem
Fœniculi in morem diſtinguunt, plurima & illum
Infami cingunt folia haud aliena cicutæ,

Ni majora forent, magè pinguia, lata magiſque,
Caulibus in ſummis denſiſſima copia florum
Venit in umbellis, niveoque ſuperbit amictu,
Semina ſuccedunt fragrantia, & æmula olenti
Angelicæ, nigræ radicis candida pulpa eſt,
Ipſaque thuriferis certârit odora flagellis.
Juniperi gummi, quernorum pulvere miſta
Carbonumque & melle juvant quæ ſemina Sumach,
Dictum Rhus doctis meliore at voce Pelaſgis;
Auſtero accedit ſpecie arbor proxima ſorbo,
Creſcendique modo, nec quod diſcrimen in illis
Cernenti procul eſt promptum dignoſcere cuiquam,
Mollia tractanti folia, & lanugine tecta,
Sanguineo media & pervadit limite nervus,
Ex albo virides flores glomerantur in unum,
Atque nucum longo pendentes ordine julos
Aſſimulant, fructus deſcendit, ut uva, racemis;
Scrupoſo venit illa ſolo ſylvis in opacis,
Hiſpanis, Italiſque jugis, eſt optima Nili
Incola, & Aſſyriis quæ paſſim naſcitur oris.
Eſt alia & ſpecies; quam ſolertiſſimus ille,
Naturæ & cultor nimius ſermone polito
Deſcripſit; nam cùm Campano intenta Veſevo
Mens foret, & cæcas flammarum pandere cauſas
Dum cupit, ante diem meritâ non morte ſepultum
Ignea tempeſtas Stygias invexit in umbras.
Arboris exigua eſt moles, folia æmula myrto
Accedunt Paphiæ, virgultaque lenta feraci in
Undique naſcuntur trunco quamplurima, flores
Muſcoſique, cavique, ſinum referunt cochlearis

Semina

Semina quæ includunt ſiliquæ; prodeſt oleumque
Balſaminæ expreſſum fructu, magni & Theophraſti
Coggygria, hæc aliis conaria dicta Cotinus,
Et Cocconileam hanc ignotâ voce Latinis
Nonnulli dixere; arbuſtis annumeratur,
Quæ denſo imbelles firmant munimine ſepes,
Quatuor aut quinque in cubitos exurgit, amaras
Viminibus ſalices lentis virgulta imitantur,
Fuſca rubent, pingui folia accedunt terebintho,
Craſſa, rotunda magìs, crebriſque fluentia venis,
Lata magiſque, gravem gallæ referentia odorem,
Capparidumque rigent inſtar, ſubrectus in auras
Surculus hæc inter caput effert, plurimi ab illo
Ex viridi crocei dependent ordine flores
Congeſti denſo, ſuccedunt ſemina lentis
Æmula, coccineo quæ ſunt infecta colore,
Plumoſis ornata comis: hanc Auſtria nutrit,
Pannonia, ingentique patens Hungaria tractu,
Gallia, & elatis in montibus Itala tellus,
Hercyniæque nigræ vicina Boëmia ſylvæ;
Paſſim Stiria alit, & nubifer Appenninus.

HEPATICA.

HEPATIS hæc ductus reſerant, clauſoſque canales
Expediunt fœdâ illuvie, vitiiſque medentur
Affectæ partis: Barba hirci, Abſinthia, Menthá,
Fraxinus, & Lichen, & amaris Intyba fibris,
Juncus odoratus Schœnanthon dictus, amanſque
Lujula ſylveſtres umbras, floreſque minoris

Centauri,

Centauri, atque humilis Pinus, Fumaria, odora
Aſperula, & ſiccis viſenda Agrimonia campis,
Betonica, & denſis creſcens Fragaria ſylvis,
Hepatica & trifidis foliis, Cervinaque lingua,
Bugloſſum, ſemen Cari, cordique Borago
Lætitiam inducens, ſævos abigenſque dolores,
Bugula, ſanguineis Atriplex onerataque moris
Quà folia emergunt, hortorum Coſtus odora,
Cognatum Ageraton, (florum eſt longæva venuſtas,)
Uvaque Phœbæis radiis ſiccata, Epipactis
Saniculæ facie, radix plexiſque puſillis
Inter ſe fibris componitur, Helleborique
Non ita diverſis, hinc caulis plurimus exit,
Qui tenuis, lævis, lentuſque, in vertice ſummo
Sunt folia, & flores formam ſtellæ referentes,
E ſenis conſtant petalis, reperitur in altis
Alpibus: & proſunt quæ Pulmonaria dicta
Aurea, Fœniculum, dulci ferrugine tinctæ
Et Violæ, Veneris Pecten, ſuccus Glycyrhizæ,
Contuſa atque Aceris radix jecoris regioni
Admota, Hepatica è ſcopulis enata, rubentes
Sylveſtriſque Roſæ fructus, Crithmumque marinum,
Terreſtris flores Hederæ, baccæ redolentes
Juniperi, gummi Lentiſci, Mentha ſativa,
Serpylla, atque Aloes lignum, Cuſcuta, Nuceſque
Piſtaciæ, Chinæ radix, radix & Eryngî,
Sphondylii ſemen, Pavame, Lepidia atque
Annua, Moſchatæque nuces, infuſaque vino
Marrubia, & crebris alata Aſplenia pennis,
Radicis Mori cortex, & grana Nigellæ,

Oxymeli è Scillis, Aquileiæ Semina Baccho
Hauſta, crocoque ſimul commiſta, Papavera radix
Quâ cornuta hærent ſiccæ telluris arenæ,
Tollenteſque ſitim placidi ſucci Tamarindi,
Solanum ſcandens, Naſturtia, Perſica mala
Quos tibi dant Nucleos, Guaiacum, Citrina Stœchas,
Pæoniæ ſemenque, croco non multùm alienus
Cnicus, cœruleæ & nuclei juvere Syringæ;
Africa alit rupes interque humentia ſaxa.
HELLEBORO affinis prodeſt & Helleborine,
Carduus à ſtellâ dictus, foliis Coriandri
Atque Adianta, Apium, paſſim quod montibus altis
Sileſiæ venit; & purgantes corpora ſucci
Senæ Italæ; foliis dulci accedit Glycyrhizæ,
In cubitum ſurgit caulis; rami facileſque,
In quamcunque vocas partem, flectuntur, & auro
Contendant crocei flores, ſiliquæque recurvæ
Nondum completæ referunt bene cornua lunæ,
Uvarumque acinos imitantur ſemina nigra,
Impatienti hyemis redit annua cura ferendi.
FLAVI & juverunt flores cum melle tenaci
Carthami: huïc caulis cubitum caput ampliùs altis
Extulit, edurus, lævis, rectuſque, tereſque,
Spargitur in plures in ſummo vertice ramos;
Longa in mucronem folia & riguere, frequentes
Armârunt oras ſpinæ, mole æmula olivæ
Caulibus extremis capita enaſcuntur, acutis
Obtecta horreſcunt ſquamis, flores oriuntur
Hinc cinaræ in morem, componunt ſtamina denſè
Conferta, his ſubter latitant & ſemina longa

Albaque, triticeum mole exæquantia granum,
Involvens membrana riget, eſt candida pulpa,
Nec ſapor ingratus, radice eſt fulta tenellâ;
Argentoratum jactans Alſatia gignit,
Quâ placidos Illus leni vehit agmine fluctus.
Contulerit fluvio, & gelido ſua nomina Ponto
Rha debens, Pani ſuccus, preſſuſque ſuillo,
Fraxinea & radix decocta, ex fraxineoque
Hauſta ſcypho, Sorbus ſylveſtris, Polygonumque
Mille tumens granis latices quos fundit: amara
Herba, cuï nomen Rex Gentius indidit olim,
Et primùm ſollers medicos aſſumpſit in uſus:
Sunt folia huic latæ plantaginis æmula, caulis
Concavus hæc inter ſurgit, teres, atque frequenti
Intumet articulo, tranſverſi pollicis illi
Craſſities par eſt, bina internodia cingunt
Et folia in ſerti morem, quà vergit in auras
Altior, amplexu flores fovere tenaci
Auricomi, & pulchram ſtellæ retulere figuram,
Qualia Leucoio ſunt ſemina lævia, radix
Craſſa patet digitum: paſſim nemora avia, & altos
Incolit hæc montes; vitreis quà volvitur undis
Iſter, & Eridanus, fluctu Rhenuſque bicornis
Aſſurgit tumido, Venetoque in gurgite Davus
Conditur: & proſunt Caryophyllata, Roſæque,
Atque Myrobalanus, quæ dicitur Emblica, Quinque-
Et-folii ſuccus, ſudanſque ex arbore Lacca
Non pruno abſimili, quam Ganges mittit & Indus.

HERNIA.

DUM nimio urgetur preſſum conamine corpus,
Infirmæ & niſum vires perferre recuſant,
Seu ſit origo mali ſaltus, ſeu caſus ab alto,
Sive ictus vehemens, prono ſi viſcera lapſu
Deſcendant, gravis & moles imam premat alvum;
Proderit hìc ſerram referens Serratula dicta,
Telephium, florenſque Filix, Dentaria, Lenſque
Incola ſtagnorum, cœli Scala obvia paſſim,
Alchimilla decus campi; Lunaria, & herba
A nummo nomen ducens, & Valeriana,
Polygonumque, cuï merito dedit Hernia nomen,
Conſolida & major, Cruciataque, Perfoliata,
Geraniumque, cuï nomen tribuere columbæ,
Bellidis & ſuccus majoris, mollis Acanthus
Virgilii, Helenii radix, Veneriſque Capillus
Aſſyrius, vero haud multùm qui diſtat; odori
Trifolii flores pingui madefacti in olivo;
Concavus in binos erectus in aëra caulis
It cubitos, plures emittit & undique ramos,
Æmula vulgari folia huic, niſi crena notaret
Summas crebra oras, ex horum plurimus alis
Flos venit in morem meliloti, ni foret ille
Cœruleus, croceo ex albo ſunt tincta colore
Semina, quæ accedunt ſpecie ſiliquæ Columellæ:
Peucedani juvat & ſuccus, ſemperque vireſcens
Sanicula, & Calamus, qui ſpirat aromata, radix
Althææ, in tumulis creſcens paſſim Myoſotis,

Balſaminæ folia in vino decocta, cupreſſi
Feralis folia, atque Nuces, radix Equiſeti,
Bugula, Narciſſi radix, Calamintha & odora,
Et Clinopodium origani conforme figuræ,
Ulmus, Serpyllum, majoraque Centaurea:
His teres, & lævis caulis, tres ampliùs extat
E terrâ cubitos, ſerrata in ſegmina plura
Sciſſa fluunt folia, & ſquamoſo tegmine flores
Clauduntur, jaceæ ſimiles in vertice ſummo,
Seminibus cùm jam matura acceſſerit ætas,
In pappum verſi volitant, quò ventus & aura
Impellunt, longâ nigrâ & radice tenentur,
Acer in ore ſapor pulpæ, dulciſque rubentis;
In læto pinguique ſolo naſcuntur, apricis
Collibus, & multo veſtitis gramine, aluntque
Et Lycia, & Pelopis quæ dicitur Inſula, & alta
Mænala, ſylvicolæ canibus bacchata Dianæ;
Baldi, & Veronæ juga quæ vicina tulere.
Unguenti in morem prodeſt Libanotis, olenſque
Betonica, Aſphodeli radix, ſi pondere drachmæ
In vino potes, foliis ſat nota duobus
Pinguis Ophrys, magni ſcriptis celebrata Maronis
Baccharis, avertenſque malæ mala carmina linguæ;
Aſpera ſunt folia huic tractanti, qualia veris
Primula habet, cubitos hæc inter caulis in altum
Aſſurgit binos, ſquamati in vertice flores
Purpurei ex albo, venit cùm effœta ſenectus,
Mutantur pappo, qui quò rapit impetus auræ,
Inſtabili huc illuc fertur ludibria vento,
Cinnama olet radix, crebrâ eſt donataque fibrâ;

Huic jejuna favet clivoſæ glarea terræ,
Monſpelii venit, & Romanas incolit arces.
Juverunt multâ cooperta & Acanthia lanâ,
Aptaque vulneribus ſerpentis lingua medendis,
Infuſum vino gramen dictum nemoroſum,
Matthiolus dubio vocitavit Holoſtea verbo,
Ornitho-&-podion, ſic dicta eſt herba, figurâ
Quòd volucrum expanſas referat pulchro ordine plantas.
Abrotani foliis & cincta Aurelia Gazæ,
Huic Heliochryſon nomen poſuere Pelaſgi;
Rectus ei caulis, cubitum non ampliùs ille
Surgit, duritie ligno certaverit, indè
Crebri funduntur rami, foliis color albus,
Aſper tangenti eſt, in ſummis caulibus auro
Contendant flores, florum forma eſt tanaceti,
Collectique priùs, quàm invaſit fœda ſenectus,
Nulla diu integræ patiuntur damna juventæ;
Non aliam ob cauſam ſertis ſimulacra Deorum
Hinc factis feſtâ velabat fronde vetuſtas;
Flumineas ripas, incultæ & jugera terræ
Incolit; Hiſpanis, Italis & venit in arvis
Sponte ſuâ, rarus noſtris eſt hoſpes in oris.

HERPES.

INFESTAT, corpuſque urit Herpes miliaris?
Majoris ſuccus Chelidonî juverit, atque
Sylveſtris pruni gummi, gummi Ceraſique
Exudans ramis, Lichen fontanus, olenſque
Sambucus, Menthæ nocturno tempore ſuccus

Illitus, atque Orobus ſi auſtero incoctus aceto,
Et latis Acinos foliis, & Balſama Idumes,
Atque Peru, Helenii radix, puerique Sinapi
Urinæ miſtum lactentis, Pentaque-phyllon,
Quodque Tithymallus facto de vulnere fundit
Lac niveum, latices Lapathi juvere & acuti,
Triticeumque oleum, frondes pacalis olivæ
Contritæ, innuptæ donum frugale Minervæ,
Glaſtaque cœruleo lanas quæ murice tingunt,
Tabacum unguenti in morem, Scabioſa, rubenſque
Anchuſa: huic echio folia æmula plurima, amicta
Tractanti hirſutâ lanugine, caulis in auras
It teres & ſimplex cubitum, villis & acutis
Obſeptus, ſimilis florum color ætheris alti,
Semina palleſcunt, quæ longa, minutaque, radix
Craſſa patet digitum, tangentûm ſanguine dextræ
Imbutæ ut rubuere: venit terris in opimis,
Quà Leza Monſpelium tumidis adverberat undis,
Quaque Italis Gallas Varus ſejungit ab oris.
Contulerint Cepæa, Sedum, quod more puſillæ
Arboris exurgit, vitis ſarmenta crematæ
Quos fundunt latices, poma & malè olentia amoris,
Planta ferens teretes caules producit, onuſtos
Pinguibus & ramis, proprio qui pondere preſſi
Incubuere ſolo, niſi fulcrum acceſſerit; illi,
Qualia foſſarum quæ inventa Agrimonia in oris
Emittit, folia, aſt multò majora, magiſque
Ex albo viruere, inter quæ copia florum
Venit flava, quibus ſenio labentibus ægro
Sanguinei ſubeunt pulcherrima poma coloris,

Crebra

Crebra canalicula & diſtinguit; & anſeris illis
Eſt ovi moles, qualem dant cerea pruna,
Eſt & pulpa rubens, compreſſaque ſemina parva
Involvit, fibris radix conſtatque minutis;
Ardenti affectat terras ſub ſole calentes.
Profuit & Lolium, cui ſulphura miſta & acetum.

HYDROPS.

SÆPIUS inflatum gravis abdomen premit Hydrops,
Molliaque impreſſi digiti veſtigia ſervant
Crura, tumetque cutis diſtenta humoribus horis
Nocturnis, & luce novâ veniente reſidens
Detumet, imbelles quatit æger anhelitus artus,
Aridaque ora ſitis torquet; certiſſima ſigna
Hæc tibi ſunt morbi tu: quæ ſunt optima, tecum
Quære, malo; atque oculo vigili diſcurre per omnes
Acer agros, valleſque cavas, ſylvaſque ſonantes:
Propitius cœlo Phœbus miſeratus ab alto
Auxilium dabit, & rebus ſuccurret in arctis;
Herbarum huic uni ſubjecta potentia Divo.
Hìc nigris Alni baccis cutis intima in umbrâ
Siccata educet crudos de corpore ſuccos,
Atque Ebuli interior cortex, ſemenque, Kalique:
Ora marina tulit; ramoſus caulis in altum
Bis ſex exurgit digitos, pinguiſque, tereſque,
Pluribus articulis diſtinctus, & eſt color illi
Ex rubro viridis, foliis orbatur opacis,
Coralio ſimile eſt, tenuis fibrataque radix:
Hinc pellucentes calyces, & pocula fiunt

Vitrea,

Vitrea, multiplices vaſa & formantur in uſus
Pulvere commiſto ſilicum ; pretioſius illis
Nil foret, incudi ſi ſcirent verbera ferre
Impoſita, & duri redeuntia brachia fabri ;
Futilis aſt obſtat natura, impactus & ictus
Deſtruit, inſtratâ & ſplendeſcunt fragmina arenâ.
Sambucus juvat, & ſummæ virgulta Geniſtæ,
Atque Polypodium, Rhamnuſque catharticus, herba
Dicta Chelidonium, Linaria lutea, Ruſcus,
Puleium, foliumque fabæ referens Menianthes,
Carduus à ſtellâ dictus, Ranunculus albo
Flore, hederam foliis referens, atque obvia campo
Enula, & à fumo ducens Fumaria nomen,
Atque Tanaceti ſuccus, atque Intyba amara,
Carduus & niveis diſtinctior undique venis,
Verbenæque ſacræ pulvis, Aſarum, atque Chamædrys,
Solanum ſcandens, dicunt Glycypicron Achivi ;
Litoribus gaudens & Soldanella marinis,
Hellebori pulvis nigri, Ricinus, Colocynthis ;
Xyris olens, Dauci ſemen noſtratis, odora
Hortorum Coſtus, linguam mordenſque Sinapi,
Et Scillæ radix, vino albo atque Iridis acris
Admiſtus ſuccus, longi radixque Cyperi,
Salviæ & expreſſi latices cum melle liquenti
Epoti, Idæis naſcentia Smyrnia paſſim
Montibus, Origani ſuccus, fauces Thymelæa
Exurens : cubitum ſuperant ramoſa flagella
Nata hinc, ſunt lini folia æmula, vertice ſummo
Sunt nivei flores, baccæ curvantur in ovum,
Quæ primùm virides, maturis eſt color illis

Cocci-

Coccineus, candet nucleus, prædurаque radix
Contendat ligno: multo juga ſubdita Phœbo
Incolit, & terras propiori ſole calentes.
Murorumque juvant Helxine, atque Allia, agreſtis
Et Cucumis, ſemen quod dat Cataputia, Laſer
Ficubus admiſtum ſiccis, & laurea cortex,
Triſtis Ruta, Chinæ radix, Aſtrantia odora,
Laccaque Sumatrâ redolens quæ venit Eoâ,
Arboris ignotæ lacrymæ, Gambogia dictæ,
Aureus his color eſt, nec ſuccina cerea vincant,
Curcuma & crocea, Aſſyriis Scammonia terris
Ortaque, Gratiolæ ſuccus, Centaurea, Turbith
Affectans pelago loca quæ vicina ſonanti,
Hoc Surata, Dion, tulerunt Cambayaque dives:
Illius eſt radix tenuis, nec longa, duaſque
Eſt ſpithamas longus caulis, vix craſſior unquam
Eſt digito, atque hederam ſerpendo imitatur, hibiſci
Sunt folia, & flores, caulis pars infima adhærens
Radici tantùm medicos adhibetur in uſus.
GRANA juvant Apii, Plantago & aquatica trita, &
Cruribus admota; & radix Carlinæ, & Aniſum,
Montanum Polium, radices Fœniculique,
Guaiacum, Cotula, & quæ dicta Chamæpytis herba,
Linguæ avis & pulvis, vino qui infuſus in albo;
Et ſuccus triſtis, quem preſſa Bryonia fundit,
Fæculaque, & Cinaræ radix, pulviſque Aſarinæ
Miſtus aquæ, & melli; pendens & in arbore muſcus,
Innumeris conſtat filis, longiſque capillis
Inter ſe plexis, illi color optimus albus;
Barbaricum huic Arabes fecerunt Uſnea nomen,

Hunc

Hunc aluere Pyrus, Pomus, Quercuſque, Larixque,
Cedrus olens, Abies, Pinuſque, & Populus alba
Nigraque: Pinaſtri, & Piceæ quæ glutine pingues,
Atque Olea, impactâ terræ quæ Palladis haſtâ
Pacifera emicuit, longè & Neptunia dona
Exuperans vicit, vel Divis teſtibus ipſis,
Quamvìs egregiæ capiant miracula formæ.
Nec tibi diſpliceant Abſinthia nata marinis
Littoribus, Menthæ ſuccus, radix & Eryngî,
Carthamus & ſemen quod præbet luteus, Ornus,
Et Cicer Æthiopis: folia huic ſunt mollia, lata,
Fuſa & humi, denſâ paſſim coopertaque lanâ,
E foliis digitis quam carpas, pelli ut ovinæ
Detractam, caulis quadratus prole frequenti
Luxuriat villo tenui circundatus, illi
Cœrulei ex albo flores galeæ inſtar hiantes,
Queis ſenio effœtis ſuccedunt grana triquetra,
Radix dura nigret, felix Meſſenia gignit,
Et Meroe, placidis quam Nilus circumit undis,
Atque ultro Trojæ vicinâ creſcit in Idâ,
Æthiopumque oris calidi ſub ſidere cancri.
Creditur & vilis multùm hìc juviſſe Faſelus,
Littoreis gaudens Atriplex reſupinaque terris,
Vulgari ſimilis, multâ quaſi ſparſa farinâ,
Quæ vitri auxilio, geſtant quos gramina, rores
Manè refert, Eſulæ radix, crebrâque madentes
Androſace affectans rupes aſpergine, conchas
Quaſque ferunt Cochleæ ſulcatas ordine pulchro,
Huic caules lucent læves, digitos duo longi,
In ſummo folia in clypei formata figuram

Singuli habent, color eſt cinerum nativus & illis,
Sedibus emotis propriis mutatur at albo,
Semine cenſetur ſterilis caruiſſe, frequens eſt
Monſpelii, hìc nota eſt bene piſcatoribus herba,
Triſti guſtantûm diſtorquens ora ſapore.
Eſt alia & ſpecies, ſpuria eſt quæ dicta, quotannis
Semine quæ lapſo exoritur renovata, rigoris
Impatiens brumæ, folia huic plantaginis inſtar,
Fuſa & humi paſſim, crebris diviſaque crenis;
Ex viridi pallent, ſunt mollia, fœtaque ſucco,
Hæc inter quini vel ſex lanugine tecti
Emergunt nudi caules, qui quatuor alti
Sunt digitos, folia in ſummo ſunt quinque minuta,
Diſpoſita in gyrum, flores candore nivali
Hinc enaſcuntur; ſunt ſemina, primula veris
Qualia dat; radix parva eſt: hanc Auſtria gignit
Lactentes inter ſegetes, & pinguia culta,
Badenſes tepidæ quà præbent balnea thermæ.
Herba Eupatorium, nigrum redolenſque bitumen
Trifolium hìc proſunt, & ſomniferum Solanum,
Plurima ramorum ſeges eſt huic, plurima opacas
Caulibus inducunt umbras ſarmenta, nec illa
Rumpuntur facilè, aut magnâ vi flexa domantur
Lenta, gravis foliis oneratur pinguibus, ollis
Eſt obtuſa acies, multúmque, Cydonia malus
Quæ gerit, aſſimulant, flores oriuntur ab alis
Coccinei, croceum ducunt matura colorem
Poma in veſicis, radix ſatìs ampla rubeſcit;
Hoc rupes inter creſcit, cauteſque marinas.
Planta Peru veniens toti mirabilis orbi

Et

Et juvat affinis ſolano; huic India nomen
Hachal impoſuit, foliis forma eſt redolentis
Ocymi, & hæc inter binos plùs caulis in auras
It cubitos, digitumque patet, crebris genibuſque
Extat inæqualis, nodos & purpura tingit,
Spargitur in plures ramos fœcundus, in ipſo
Vertice ſunt flores, expanſis forma tabaci
Floribus, hìc ſi non facerent diſcrimen acuti
Anguli, & hìc planum non ambitus iret in orbem:
Haud alibi tantis natura coloribus unquam
Ipſa ſibi diſpar luſit, nam purpura regum
Nunc operit lætos, nunc triſtia diſcolor illis
Ora notat pallor, modò flamma accendit, & auri
Aura modò effulget, niveus modò candor olorum
Veſtit, nunc varii ſimul enituere colores
Commiſti, atque oculos pulchro diſcrimine paſcunt
Spectantûm, rubro nunc & veſtigia ſulco
Linea recta trahit, guttæ nunc verſicolores
Inficiunt, floriſque cavo medius ſtylus alveo
Sex qui ſtaminibus circundatur, exit; odorem
Eximium latè flores fudere comantes,
Qualem Narciſſi exhalant candore nivali,
Hoc infelices, quòd vix in luminis auras
Ingreſſi languent, & inexorabilis umbris
Involvit Stygiis mors ferrea funere acerbo;
Emenſo, nam qui, cùm ſol diſceſſit Olympo
Effulgens plenos expanderat oris honores,
Cùm rurſum æquoreas lucem clauſurus in undas
Ferret equos, illum vidi periiſſe, decore

Exutum, & tantùm floris mansisse cadaver;
Semina sunt acri piperi satìs æmula mole;
Est Raphani radix obnigra, est candida pulpa;
Nonnulli hanc docti censent verum esse Jalapum.
Nec minor usus erit radicis Mechoacannæ,
Illi quæ similis, quam nigra Bryonia fundit
In furcam bifidam: nutrit Quito & Nicaragua.

HYPNOTICA.

LUMINA si somnus fugiat, si crebra vocantis
Vota Deus spernat, tardè expertesque quietis
Labantur noctes, auroraque poscitur ægro;
Tu vigiles hebeta sensus pollentibus herbis,
Quæ curas abigant, placidum inducantque soporem.
Hìc prosunt floresque croci, Rhæasque papaver,
Atque Cynoglosson, Hyoscyamus, incola & agri
Lactuca, & Lolium infelix, & Primula veris,
Populus & fluvii affectans loca proxima ripæ,
Incocto & dulci corallia rubra Falerno,
Tabaci succus, Violæ ferrugineæque,
Semina Sambuci montanæ, semina Junci,
Quosque Rosæ fungos læsæ peperere caninæ
Coccineos, pallens qui pendet in arbore muscus,
Nymphææ folia & flores candentis, amara
Intyba quos præbent latices, & frigida abunde
Portulaca, Rosæ Moschatæ, lethiferumque
Solanum, tres huic cubitos it in aëra caulis,
Diffundit latè ramosaque brachia, latis
Quæ foliis onerata, viror dilutus & illis;

Hæc

Hæc inter flores naſcuntur, qui Digitalis
Floribus accedunt, pallens hos purpura tingit,
Pomaque ſuccedunt, quæ primò infecta colore
Sunt viridi, nigrum ducunt matura, Ebenique
Splendeſcunt inſtar, liventi fœta cruore
Pulpa tumet, baccas acini referunt hederæque,
Radix craſſa albet, multis durabilis annis,
Urbs alit Ebranci, quà Divæ ſacra Mariæ
Delubra ingentem dejecta dedere ruinam,
Ruderibuſque frequens via clauditur: utilis eſt &
Herba, ſua infami quæ debet nomina Circe,
Mandragoræ radix nec inutilis; Itala tellus
Hanc parit, humentes quà mons Garganus in auras
Tollitur, hanc terræ vicino ſole calentes
Sponte ferunt; folia huic ſunt lævia, longa, patentia,
Fuſa & humi in gyrum, obſcurè viruere, cavique
Ex viridi albeſcunt flores, his lutea poma
Succedunt ſenſim, quæ tactu mollia lucent,
Et quamvìs vehemens ſit odor, tamen olfacienti
Non ingratus erit, renis retulere figuram
Semina, ſtramonii granis non multùm aliena;
Baccharis & prodeſt odor acer; naribus hauſta
Semina & Althææ croceæ induxere ſoporem.

HYSTERICA.

PEUCEDANI juvat hìc radix, & fœtida Xyris,
Sphondylium, redolenſque Garum, Valvaria, Daucus,
Cuique ſuum nomen dedit Artemis Ilithuia,
Totaque Juniperus, radix urſina, Pelaſgis

Dicta Meum, ſemper viridi & Phyllitis amictu,
Cardiaca & thalami cuſtodi ſacra Dianæ
Sumpta theæ in morem; mentitur forma figuram
Urticæ, in cubitos caulis duo ſurgit in altum
Quadratus, folia huic diſpoſta per intervalla
Æqua, rubent leviter flores galeæ inſtar hiantes,
Undique qui caulem amplexu cinxere tenaci,
Eſt croceo tenuis radix infecta colore;
Rudera amat, ſterilem tegit & quam glarea terram,
Oxonij venit, & Cumbris reperitur in oris,
Quà placidis Eden Corbeiam verberat undis.
Galbana de pingui Ferulæ ſudantia libro
Hìc & profuerint, & Praſſia nigra, meroque
Sambuci infuſæ baccæ, tum Ruta, & Pæonis herba,
Succina, radices ſylveſtris Valerianæ,
Et Myrrhæ lacrymæ, Betonica fœtida rivos
Propter aquæ naſcens, buxi ſemperque virentis
Raſuræ; ubertim dives hanc Surria gignit,
Quà ſibi ſubjectum collis declivis amœnum
Deſpicit oppidulum, dictum cognomine Darking;
Non malè Buxetum, hunc dicas ſermone Latino.
Stœchadis & flores, quos mittit Perſia felix,
Juvere, & vitis, quæ dicta Bryonia, radix,
Puleium, notum cervis atque Elaphoboſcum:
Naſcitur hoc, Flandri quà mœnia magna Duaci,
Elatæ & terræ moles hoſtilibus armis
Invictum reddunt, cives trepidare vetantes.
Scorzonera, Filix, ſuavem ſpirans & odorem
Indorum Nardus, quam nutrit Bengala, ſuccus
Laſeris & fœtens, Agrimonia odora, Meliſſa,

Parthe-

Parthenium incoctum vino, Ficaria flore
Luteolo, atque Ebuli baccæ, pulviſque Sinapi
Naribus exceptus, malè olenſque Conyza paluſtris,
Tabacum, radix Petaſitæ, quæque coloni
Dicta Panax, Fungi cervis gratiſſima præda,
Lentus in antiquâ creſcens Jovis arbore Viſcus,
Heſperis Allium olens quæ præbet ſemina, agreſtis
Salvia, Capparidis cortex: eſt planta ſtaturæ
Exiguæ, huic ſpinis ſarmenta armantur acutis
More rubi, & terræ tenera inclinata recumbunt,
Vicinæ auxilium niſi vis imbellia firmet,
Eſt olli folium, fert quale Cydonia malus,
Sunt tetrapetali flores, ſi condit acetum
Expanſos nondum, docto placuere palato,
Inque epulas ſtomachum exacuunt, qui elanguit æger
Ante, pyrum fructus ſimulat, compreſſa coloris
Semina ſunt fuſci, radicis craſſa cutiſque
Præduræ: Hiſpanis, Italis & venit in oris,
Monſpeliique: mero incoctum prodeſt & Anethum,
Si tenues fumos genitale exceperit arvum
Pertuſâ poſitæ in ſellâ, redolenſque Bitumen
Trifolium, & caſto ſuccendens ora rubore
Viſus virginibus Fungus, crucians & odore
Obſcœno nares; flores Roriſque marini
Infuſi vino, Seſeli pratenſe, Cuminum
Sylveſtre: huic ſimilis foliorum forma minori
Eſt Pimpinellæ, caulis qui parturit, altus
Vix pede conſurgit, teretes in vertice ſummo
Hirſuti albeſcunt globuli, ſemen tenuiſque
Lanugo involvit clauſum, Dentiſque leonis

Non

Non multùm diſpar, radix eſt candida, crebra
Fibraque ſuffulcit, Lyciis eſt obvia in arvis.
Scordia miſta mero, Cynogloſſa & olentia diro
Vincendo ſunt apta malo, folia & Lithoſpermi,
Atque Hippogloſſi pulvis, radix & Eryngî,
Dictamnum in Phrygiâ paſſim quod naſcitur Idâ,
Et niger Helleborus, viridis cui flos; Digitalis,
Auriculæ atque Urſi radix, Satureia, Cubebæ,
Indorum Coſtus, crebris Aſplenia & alis,
Angelica, & Cuſcuta minor, & Staphylodendron,
Ingentique patens Antirrhinum oris hiatu,
Atque Stachys Fuſchî fœdum quæ exhalat odorem,
Marrubii genus eſt; caulis quadratus in altum
It binos cubitos molli lanugine amictus,
Lata patent folia huic, quæ candida, plurima librum
Crena ſecat ſummum, flores & purpura tingit,
Qui in gyrum cingunt caulem, quà dividit illum
In partes extans nodus, glomerantur in orbem
Semina nigra, riget radix edura, coloris
Dilutè crocei; turpi ſqualentia gignunt
Arva ſitu, ſterilis congeſtaque rudera terræ;
Oxonii, aſt raró, lætis reperitur in agris;
Sponte ferunt terræ propiori ſole calentes.

ICTERUS.

SI queis fortè malo hôc langueſcant corpora morbo,
Id jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis;
Antè nitens facies fulvo fit concolor auro,
Luteus atque oculos color inficit, omnia flava

Cernuntur viſu læſo, triſtis ſapor ora
Diſtorquet felli ſimilis; pruritus & ingens
In cute deſævit, confectis viribus ægro
Inviſus quicunque labor, labaſcit edendi
Ardor, & inſtructæ ſordent convivia menſæ,
Singultuſque frequens torquet, proclivis & æger
In vomitum ſtomachus, nocturna urinaque lanas
Tingit more croci immiſſas, album eſt onus alvi:
Hìc bene contulerint Lichen, Linaria, ſemen
Fraxineum, Pentaphyllon, Fragaria, flores
Cœrulei Cyani, Centaurea amara, Geniſtæ
Semen, & Aſperulæ, Verbena, Urtica, Thalictrum,
Solanumque trahens veſicæ à nomine nomen,
Alkakengi Arabes vocitant; cubitum teretes huic
Sunt longi & caules, læves, tenerique rubeſcunt
Et leviter, propriis non freti viribus illi,
Auxilium imbelles alienaque robora poſcunt,
Quæ ſi defuerint, nimio ſub pondere preſſi
Collapſi ſternuntur humi, ſatìs æmula fundunt
Solani folia hortenſis, quinque-angula forma eſt
Continui floris, niveus commendat amictus,
Tenvibus incluſa in veſicis poma rubeſcunt
Dilutè ex croceo, ceraſi non diſpare mole,
Semina palleſcunt compreſſa; fluenſque Canini
Graminis eſt inſtar radix: prope Tybridis undas
Naſcitur, & ſylvæ, rapidus quas alluit Iſter,
Hoc peperere, venit Galliſque & ſæpius oris.
Juverit & lacuum Lens incola, Mercurialis,
Origanum, Hypericon, flore & candore nivali
Marrubium, Lapathi radix, crocus & Glycypicros,

Atque Apium, & varias Aquileia imitata columbas,
Aſparagi radix; nimiùm dilecta Avicennæ
Herba Eupatorium, ſpinis horrens & acutis
Berberis, & ſiccas Eryngion inter arenas
Littoris inventum; Fumaria rubra, Chamædrys,
Atque Chamæciſſos, Chelidonia magna, minorque,
Puleium, atque acidi multùm proſunt Tamarindi,
Radicis Lauri cortex, humiliſque Myrica,
Sphondylium, Laſer, & Ruſcus, Cuſcuta, marinum
Et Crithmum, Rubiæ radices, & Solidago
(Ex re nomen habet) Saracenica dicta: vireſcunt
Huic folia anguſta, & dat qualia Perſica malus,
Crena niſi extremum ſulcaret plurima limbum;
Concavus hæc inter ſe tollit in aëra caulis,
Bis cubitos altus binos, in floribus aurum
Fulget; & inſano fertur ludibria vento,
Qui ſubiit pappus; fibris compoſta minutis
Eſt radix: natale ſolum Salopia, ſcindit
Quam mediam Sabrina vagis anfractibus errans.
Et folia, & flores necnon juvere Conyzæ,
Squilla, rubens Anchuſa, Oreo-radixque-ſelini,
Semina Chenopodis Ricinique infuſa Falerno,
Montanum Polium, Calamintha & odora, Medulla
Seminis & præbet quod Cannabis horrida, ſuccus
Et Cinaræ Baccho commiſtus, Rhaque inamœnum,
Buphthalmi in vino ſumpti & poſt balnea flores;
Huic graciles multi ex ipſis radicibus orti
Emergunt caules, altique feruntur in auras
Seſquipedem; cingunt folia hoſque virentia, olentis
Fœniculi in morem quæ tenvia, vertice flores

In ſummo veniunt, calthæ non diſpare formâ,
Aureus eſtque color, medio ſunt ſtamina fundo
Lutea, & in globulos glomerantur ſemina, Adonis
Quales fert, radix fibris conſtatque tenellis.
Vicina hoc rapido gignit Germania Rheno,
Quáque rigat campos fœcundos Molda Bohemos,
Sponte oritur. croceus confert & Carthamus, udo
Tormentilla ſolo veniens, atque Helleboraſtrum,
Atque Cyclamini ſemen, Libanotis odora,
Aſphodeli virgulta novo erumpentia vere
Bulboſi: folia huic porri liventia, caulis
Nudus & hæc inter ſurgit; ſunt vertice flores
In ſummo, ſtellas referentes, candet amœnè
Ex viridi interior facies, ſaturata virore eſt
Altera & impensè, ſunt ſemina clauſa triquetrâ
In cellâ, in cultis Londini viſitur hortis.
Nec tibi poſtremæ ſit Caſſia fiſtula curæ,
Frigida nec radix Plantaginis; utilis eſt &
Curcuma, & Laricis fungus: it in aëra truncus
Sublimis rectuſque, riget cutis aſpera, opacis
Quà caruit ramis, rimâque pateſcit hianti,
Quà ramis caruit, rimâque eſt fiſſa frequenti,
Læſa rubet ferro, pars obſita frondibus albet
Lubrica, & ad tactum lævis; ſunt lenta flagella,
Tenvia ſunt cedro folia æmula, & agmine denſo
Conferta, intereunt primæ quæ frigore brumæ,
Coccineo ſplendore rubent flores, gracileſque
Sunt coni, quales Lyciæ peperere cupreſſi,
Illis mole pares, longi aſt magè, ſquamaque crebra
Componit, ſcabro latitant ſub tegmine parva

Semina, membrana & tenuis circundat, apum quæ
Eſt alis ſimilis, ligni eſt ſubſtantia dura.
Hanc Alpes Italæ, ſunt & vicina Tridento
Quæ juga, producunt, magni & prope flumina vulgò
Eridani creſcit, Phaethontis funere merſi
Infamis; fers & fremitu, Benace, marino
Fluctibus aſſurgens; colleſque tulere Moravi.
Aſpera Lonchitis, Pſeudo-ſemenque-melanthî
Hìc quoque contulerint, quæ dicta Chamæpitys herba,
Quæque roſa in lentum decocta eſt alba ſyrupum,
Calthaque Pariſiis inter vineta reperta
Ubertim creſcens; Calthæ non illa ſativæ
Diſſimilis, ſed mole minor; pulvis redolentis
Betonicæ, Eryſimum commiſtum melle liquenti,
Atque Paludapii ſuccus, ſemenque Hyacinthi
Purpurei, dentes ſævi referenſque leonis
Dicta Hedypnois, Cretæa Chryſanthema & arvis
Quæ venere inter ſegetes, & pinguia culta,
Cichoreum, Abrotanum, radices Valerianæ,
Atque Alni cortex nigræ, gratiſſima præda
Mentha catis, Nardus naſcens in montibus Indis,
Pæoniæ radix, & Jacobæa marina:
Incanus cubitos caulis duo ſurgit in auras,
Sunt folia & paſſim diviſa in ſegmina plura,
Queis cinerum color eſt, rutilatque in floribus aurum,
Helenium vino infuſum, ſuccuſque Aparines
Hirſutæ proſunt, Ribes, Verbenaque flammis
Quos latices cruciata dedit, laticeſque minoris
Polygoni, atque aſari foliis Aſarina, Adianthum,
Et Mentaſtra gravi, grato ſed prædita odore,

Luteus autumno ſurgens & Carduus: illi
Sunt folia, à reliquis quæ multùm aliena profundè
Inciſa, his dextram non admoviſſe nocebit,
Sola rigent ſpinis capitá horreſcentia, ſtellam
Quæ referunt; binos cubitos it in aëra caulis
Quadratus, tenui paſſim velamine amictus,
Sunt crocei è filis flores, ſunt ſemina parva,
Longa ſolum radix teneris ſuffultaque fibris
Ingreditur gracilis; colles genuere ſupini.
Apta malo atque in aquis Naſturtia nata, meroque
Infuſa in tenui Myoſotis, tritaque Burſa
Paſtoris, ſuppoſta pedum plantis, Cicer hortis
Atque ſatum, Hydropiper, Sambuci ligna, & Anonis
Inviſa agricolis, radix, Aſclepias alba
Quam tulit, Oxalidis radix, fuſuſque rubentis
In ventrem Betæ ſuccus, baccæque nigrantes
Purgantis Rhamni, ſalſi ſuccus redolentis
Atque Chamæmeli, & Veſicaria repens
Matthioli nigros fructus quos parturit; illi
Sunt graciles caules, fluxi, ſinè robore, nixi
Viribus haud propriis, alienæ indigi opiſque,
Virgultis vitis ſimiles, ſtria plurima & illos
Incidit, trifidis foliis donantur, & oras
Crena frequens ſcindit, medias & vulnus ad ipſas
Deſcendit coſtas; niveo velantur amictu
Exigui flores, longoque hærent pedicello,
Veſicæ tenues ſuccedunt floribus, in tres
Diviſæ cellas, vel terna cubilia, ſimplex
Cuique ſuum eſt ſemen, piſi non diſpare mole,
Nigra illi facies, maculæ retulere figuram

Impreſſi cordis tinctæ candore nivali;
Hinc & nonnullis cor Indum dicitur, illi
Eſt tenuis radix, fibris compacta tenellis.

ISCHIADICUS DOLOR.

NON podagræ abſimilis dolor in coxendice ſævit,
Enervatque artus; crebro dum proxima lapſu
Undique præcipitans ſalſus premit humor, & oſſa
Amplexas mergit tunicas, dum muſculus omnis
Officium negat, atque acidis dum non bene ab undis
Tendinibus vis infertur? pia Flora caniſtris
Plenis pandit opes vernas, ſolatia morbo;
Aſparagi juvat hìc radix, Centaurea amara,
Quæque nitet pratis humentibus Enula, quæque
Populus alba cupit rivi vicina fluenta,
Atque Ulmi in pinguem cortex decocta ſyrupum,
Cui vini æthereus vigor additur, utile Thlaſpi,
Utilis & paſſim campis inventa Chamædrys,
Viſcoſis Alnus foliis, divoque Jacobo
Herba ſacra, admota & viroſæ emplaſtra Cicutæ,
Atque Aſari radix vinis infuſa in Iberis,
Fraxineus cortex, Rhamnus purganſque, Geniſta,
Hypericique oleum bene olentis, Mercurialis,
Atque Chamæmelum, ſpinis atque obſita acutis
Capparis, Æthiopis, Cypriæ lacrymæ Terebinthi,
Carduus & croceus, qui dictus ſolſtitialis,
Sumpta Theæ in morem Betonica, ſemina Lappæ
Cum Pipere & Myrrhâ, vinoque & melle tenaci
Miſta, minor Cuſcuta, minor Digitalis, aceto

Peucedani

Peucedani radix commiſta, oleoque roſarum,
Leontopetali (peccanti ignoſcite vati
Pierides non ſponte, Pelaſgâ voce coacto)
Fiſtulæ ope ægroti ſuccus convectus in alvum;
In ramos ſpargens ſe plures caulis in auras
Seſquipedem exurgit pinguis, craſſuſque, amicitur
Pæoniæ foliis, rubræ flores Anemones;
Stellati, Penta-&-petali ſunt vertice ſummo;
Incluſa in ſiliquis ciceris ſunt ſemina, radix
Bulboſa eſt Rapi, nigroque infecta colore:
Hoc ſegetes inter Venetis reperitur in oris,
Etruſcoque ſolo: Jovis incunabula Creta
Et tulit, in pulchros brumali frigore flores
Seſe aperit. prodeſt oleum & quod Lilia vallis
Preſſa dedere; juvant multumque Chamæcypariſſos,
Sanicula, Eryſimum, quæ Cardamantica Iberis
Dicta; venit Gallis, Siculis, Italis & in arvis,
Germaniſque frequens: folia huic ſunt æmula erucæ,
Proxima quæ terræ, leviterque inciſa; ſed illa
Quæ caules cingunt, ſummaſque feruntur in auras,
Indiviſa manent, ſpatiumque premuntur in arctum,
Exigui candent flores in vertice ſummo,
Semina parva nigrent; ſiliquæ, naſturtia quales
Triſtia habent; radix nunc ſimplex nuncque bicornis.
Laureolæ folia & contuſa juvare recentis
Dicuntur, melle & commiſta Chamæpitys, albo
Jaſmini in vino radix epota, Sinapi,
Montana & Calamintha, Thymum, Clymenonque Italorum;
Plerumque huic recti caules, duri, tereteſque,
Crebra canalicula & diſtinguit, in æthera ſurgunt

Sæpe pedes binos, ſunt majora hypericique
Quadruplo foliis folia, hæc viruere tenella,
Effœta æſtate, aſt rufum duxere colorem,
Ex his exprimitur tabo qui concolor atro
Succus, ſunt crocei flores, baccæque virore
Sunt primùm imbutæ, pòſt & rubuere, nigrentque
Maturæ, ſemen flavet; durabilis annis
Pluribus eſt radix prædura; in ſepibus illud
Obſcuris venit, & ſylvis, quà purior aura
Hamſtedii cives vicinâ invitat ab urbe.
Profuit & Chinæ radix decocta, Tabacum,
Carlinæ in vino caulis, juvat Anticyræque
Æmoniæ Helleborus, coſtus atque Indica, radix
Mucoſæ Althææ, pinguis radix Laſeriſque
Miſta oleo & cerâ, contuſa Bryonia & alba,
Atque Chamæciſſos, ſæviſque Euphorbia ſuccis,
Et Ricini ſemen decoctum in jure, Pelaſgi
Quodque Heliochryſon dicunt; qui grata capellis
Pabula dat Cytiſus, Cynthi de vertice montis
Eſt primùm Græcas Italaſque advectus in oras.
E Pſeudoſparti ramis qui manat Iberi
Contuſis prodeſtque latex epotus, in auras
Exurgit cubitum caulis, ſtria crebraque ſignat,
Funditur in plures ramos, riget aſpera cortex,
Et virgulta virent, foliis cooperta tenella
Tegmen habent, croceis ornantur floribus; aſt cùm
Hi pereunt ſubitò languentes, grana rotundæ
Includunt ſiliquæ in renis formata figuram.

LAC ABSUMENTIA.

VISITUR in ſtagnis nervo diſtincta frequenti
Plantago, lævi folio, mucroneque acuto,
Candiduli flores, referunt tot ſidera fructus,
Vis & ineſt arcana illi, nec cognita vulgo;
Nam ſi albo tumeant plenæ tibi nectare mammæ,
Ubera nec capiant niveos diſtenta liquores,
Illitus abſumit lac ſuccus, & ilicet omnis
Deprimitur tumor, & moles elata reſidit;
In ventrem ſerpens juvat hicque Cucurbita, Ruta,
Utraque lens in aquâ flammis mollita marinâ,
Socratis & letho infamis viroſa Cicuta,
Pinus, Melo, atque Orobi ſemen, Colocynthis amara,
Et Samio damnata ſeni Faba, ſemina quæ dat
Et Milium, Vitex teneris inviſa puellis,
Geraniumque, cuï nomen tribuere columbæ,
Ocimon & redolens, Cucumis, Petroque-ſelinum,
Semina Lactucæ hortenſis, ſemina agreſtis,
Et ſteriles proſunt factura Epimedia Nymphas,
Itala alit tellus, quà docta Bononia leges
Juraque dat populis, quà ſtant Vincentiæ & arces:
Heſperidis foliis folia accedunt redolentis
Allia, ſunt crebro mucrone armata, rigeſcunt
Incurvi & tenues caules, in vertice ſummo
Sunt petalis flores conſtantes quatuor, ora
Quæ prona eſt, ardens Tyrio ſuccenditur oſtro,
Purpureum impensè ducitque ſupina colorem,
Sanguine pars media infecta eſt, certaverit auro

Luteus & fundus, claudunt ſiliquæ bipatentes
Semina compreſſa in plani formata figuram
Orbis, & in fibras radix diffuſa frequentes
Eſt ſummo contenta ſolo: juvitque Caova;
Quæ multùm exſiccant, juſto quæcunque morantes
Solicitant menſes impenſiùs, atque alimenti
Sunt parci, vacuas orbant & ſanguine venas.

LAC AUGENTIA.

UBERA ſi niveum renuant preſſata liquorem,
Impatienſque famis labiis linguâque fatiget
Sæpe puer mammas, fruſtra manuumque laboret
Impulſu, & ſiccas iterumque iterumque papillas
Solicitet, vacuo repetitis ictibus ore:
Profuerint Echii radix, Rapumque, Anemone,
Sonchus, Fœniculum, Lactuca, Halimuſque marinus,
Glauxque Dioſcoridis: virgulta huic plurima terræ
Incumbunt; Viciæ folia atque alata minoris
Incana, in ſummo congeſtæ vertice ſpicæ
Purpureæ capitum ſpeciem retulere Triphylli
Pratenſis; prodeſt & Glaux quæ dicta marina:
Pinguia ſunt folia huic tribuli terreſtris, & inter
Hæc veniunt parvi flores, quos purpura tingit,
Succedunt illis pilulæ, quales aparines,
Quæ includunt ſemen, fibrata eſt parvula radix.
Purpurei & multùm flores juvere Amaranthi,
Fraxineum ſemen, Cicer & ſylveſtre, capellis
Eſca placens Cytiſus, patriæque oblivia longa
Inducens Lotus, Flos ſolis major, & Herba,

Cui nomen tribuunt nubes, ſemenque Nigellæ
Romanæ, Raphanuſque niger, Campanula, Aniſum,
Atque Cratæogonon, radix Rapuntii, Anethum,
Squamatus Cynaræ fructus, nux Indica: palmæ,
Quæ tulit hanc arbor, ſimilis foliis, ſed acutis
Armantur ſpinis extrema, in nubila truncus
Altus it, aſt cortex lævis, non ullus opacat
Ramus, caſtaneæ flores ſunt, agmine denſo
Conferti; fructus magnum glomeratur in ovum,
Quà cum matre coit, nunc bina foramina cernas,
Nunc tria; nux duplici latet abdita tegmine, & illi
Cannabis, aut Lini rudis eſt ſubſtantia, veſcum
Includit nucleum durum, fuſcumque putamen,
Artifici aſt dextrâ ſplendet, ferroque politum
Nigrantis inſtar ebeni, piceive gagatis,
(Hunc Lyciæ ſiccas cognominis amnis in oras
Ejicit) huic orbi ſubſtantia concavo adhæret
Dura, nucis Græcæ color, & ſapor eſt recutitæ,
Intus aquæ dulces, niveæ, gratæque palato;
Africa alit tellus, & Ganges mittit & Indus,
Affectat loca, quæ pelago vicina ſonanti.
Terreſtres juvere nuces, juvere Cacao,
Vincaque Pervinca, atque oris enata marinis
Braſſica: vulgari foliis non diſtat, at albi
Diſtinguunt flores, ſubeunt pereuntibus illis
Affines uvis fructus, ſimplex latet intus
Semen, quod nigrum eſt, aliqui hinc dicunt Monoſpermon.
Polygala, atque Carum proſunt, proſunt Tragopogon,
Quæ tulit Ægypti tellus inſanaque mala,
Quà ſteriles operit campos malè pinguis arena;

Sex altus palmos teres huic it caulis in auras,
Eſtque frequens ramis, folia aſtant, qualia candens
Fundit Hyoſcyamus, fuſcoque infecta colore,
Hæc inter nivei flores naſcuntur, & in ſex
Scinduntur partes, ſunt ſtamina lutea, fructus
Nunc albet, fulvo nunc & certaverit auro,
Cernitur obſcurâ ſæpe & ferrugine tinctus,
Hujus olorinum moles æquaverit ovum,
Semina flaveſcunt, craſſa eſt fibrataque radix.

LAC COAGULANTIA.

SYLVESTRIS Cinaræ flores, flores & Acanthi
Purpurei, immiſſi lac denſant, Gallî & acerbi
Flava coma, Oxalidis ſuccus, dentes & edentum
Berberis obtundens, Pruna atque agreſtia, Sorbus,
Uvæ immaturæ, vitis virgulta tenella,
Et quæ ſylveſtri naſcuntur in arbore poma,
Et Cnici obſcurâ ſuccus ferrugine tincti:
Natura atque acidi quæcunque dat eſſe ſaporis.

LETHARGUS.

INSIDEAT gravior ſi oculis tibi ſomnus, & alta,
Sed non recta quies, meliúſque vocanda veternum,
Urgeat, auxilium rebus præbebit in arctis
Peucedani ſuccus concretus, miſtus aceto;
Elicitoque roſis oleo, cava tempora circùm
Unge fovens illo, caput & languentis, amicus
Naribus & patulis odor excipiatur; opemque

Miſta ferent oleo contrita Euphorbia, proſunt
Salvia, Serpyllum, Crocus aureus, atque Sinapi,
Æthereuſque vigor vini, Naſturtia & Inda
Juri incocta juvant, dulci vel miſta Lyæo:
His plures ſurgunt rami è tellure, ſuis qui
Viribus imbelles non audent fidere, latè
Se per humum fundunt, caules rubuere ſupini,
Quà firmant genua, at media intervalla vireſcunt,
Sunt clypei in morem folia & formata rotunda,
Plurima in extremas è centro linea it oras
Ducta, ex adverſo parvuſque exit pedicellus
E folio natus medio, Flavedine tincti
Sunt flores, formâ multùm acceduntque cucullo,
Quo caput involvunt barbati tegmine fratres,
Delphinîque inſtar calcari armantur acuto,
Sanguineis petala atque ſtriis ſulcata rubeſcunt,
Quiſque tulit ternum flos ſemen conglomeratum,
Ruga frequens ſulcat, nucleus ſuus eſtque cuïque.
Sphondylii fumus ſuccenſi naribus hauſtus
Seminis & prodeſt, prodeſt contuſaque radix,
Nymphis grata Thea, & nimiùm dilecta Caova,
Cœruleo juvit viridiſque Lavendula flore,
Ocymon, & capitis ſedantia cuncta dolores.

LITHONTRIPTICA.

CALCULUS ex tenui ſenſim glomeratur arenâ
Tophi more ſcaber; lumbos dolor hinc premit ingens,
Et renum ductus, meienti urina cruenta
Cernitur, atque graves patitur veſica labores.

Carduus hic dictus Fullonum juverit, udis
Helenium in campis, Caryophyllata, Filixque,
Oxalis, atque Acorus, Eryngia, Peucedanumque,
Pimpinella, Rubus, Raphanus, Rubia, & Tragopogon,
Argentum referens atque Argentina colore,
Althæa, Aſparagi radixque, cutiſque Colurna,
Atque moram tardis faciens Anonis aratris,
Urticæ ſemen, Aparines ſuccus & albo
Admiſtus vino, teneræque flagella Geniſtæ,
Et prope lenta Salix fluviales conſita ripas,
Sacra Jovi Quercus, Becabunga, & Erica, Chamædrys,
Atque Myoſotis, Siſymbria, Saxifraga alba,
Carduus à ſtellâ dictus, Delphinia, Daucus,
Braſſica, Puleium, Paſtoris virga, Siumque,
Alchimilla minor montana, Chamæpitys, herba
Cui nomen tribuit Paries, Virga aurea, radix
Graminis, atque ferens baccas Spina alba rubentes,
E nucleis Ceraſi pinguis qui defluit humor,
Et Gummi trunco innaſcens, Violæque, Roſæque
Sylveſtris ſemen, Veronica, Lappaque major,
Et minor, & caſtâ ducens à virgine nomen
Parthenium, Siſon, Lithoſpermi ſemen, odoræ
Juniperi baccæ, Lupulus, Linaria, Kali,
Solanumque trahens veſicæ à nomine nomen,
Oenanthe in pratis pulcherrima, Caſſia, Mentha,
Barbareæ ſemen, nigræ ſuccus Terebinthi,
Abjetis & proſunt latices, longuſque Cyperus,
Fœniculi, atque Apii radix, & Braſſica criſpa,
Et Chærophyllon, virides Tribulique paluſtris
Fructus, Betonicæ ſemen, pulvis nucleorum

Meſpilii,

Meſpilii, & auſteri, flavenſque Atractylis, udis
Et Seſeli in pratis naſcens, Paliurus acutis
Armatus ſpinis quæ præbet ſemina, Ruſcus
Accedens Myrto foliis, Veneriſque capillus,
Semina Pæoniæ, Fagique triangula grana,
Ambroſius Muſæ fructus, Serpyllaque odora,
Radicis Lauri cortex infuſa Lyæo,
Atque Lycopodium: diffuſis caulibus illud
Huc illuc ſerpens latè ſe ſpargit, humumque
Mordicus apprendit, variis certo ordine chelis
Dimiſſis, parvis foliis compingitur arctim
Compreſſis, fluit in plures atque undique ramos
In ſpiram flexos ſinuoſam, extrema coronant
In corylo quales juli cernuntur, aquis vel
Nodosâ Typhæ veniunt in arundine clavæ;
Palleſcens auri color eſt, vel ſulfuris; indè,
Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas,
Flavus colligitur pulvis, qui fulminis iras,
Fulguraque accenſus ſimulet, bene cognita Perſis
Vis eſt, & populis, Moſchus quos alluit undis;
Nam cùm læta domum referunt victricia ſigna,
Et capta affigunt templis ex hoſte trophæa,
Hinc factis ſplendet feſtivis ignibus aër,
Et latè innocuas ſpargunt incendia flammas,
Gaudia, quæ tangunt alacres teſtantia mentes;
Dumeta, & ſterilis colit hoc umbracula Ericæ.
Allio & Urſino latices quos exprimit ignis,
Piſtaciæque nuces proſunt, Hederæque corymbi,
Graminis & ſemen Parnaſſi albentis, odora
Et Melilotus, alunt paſſim quam pinguia culta;

Gingi-

Gingidium latis foliis, crocea atque Elatine,
Obſita echinato quæ ſemine Caucalis, altè
Defoſſum in terram quod Bulbocaſtanon, eſca
Grata nimis pueris, nec docto indigna palato,
Bupleurum minus & majus: anguſta minori
Sunt folia, & Jobi lacrymæ ſatìs æmula, crebris
Quæ ſulcata ſtriis, nodoſus caulis in auras
It cubitum, in ramos ſe plures fundit, in ipſo
Vertice ſtant flores, croceoque teguntur amictu,
Craſſa patet digitum radix, infecta colore
Peucedani in morem nigro, guſtantis in ore
Eſt ſimiliſque ſapor, nec odor diſconvenit; illi
Non aliud ſemen, majoris forma eademque,
Ni majora forent folia huic, majorque patentis
Eſſet radicis moles; hæc Martia gignit
Narbo inter ſilices nudos, quercetaque denſa;
Hæc etiam ſolers inter dumeta Gerardus
Invenit, tenues quà Beiſton Turris in auras
Alta tulit caput, & ſubjectos deſpicit agros.
Contulerint Chinæ radix, Petroque-ſelinum
Collibus Æmathiæ creſcens, terraſque paluſtres
Saxifraga aurea amans, quas fundit Primula veris
Radices, lacrymæ læsâ de vite fluentes,
Coralii incenſi pulvis, quæ ſemina Adonis
Flos dedit, & Veneris qui dicitur Umbilicus,
Hyperici flores, & ſemina; grana Peponum
Frigidaque, & crebris Aſplenia prædita pinnis,
Pruni & amygdalinæ gummi, Macaleb nucleuſque
Oſſiculo incluſus Geſneri: eſt arboris hujus
Moles parva, ferunt virgulta virentia frondes,

Quæ

Quæ foliis ulmi accedant, eſt fimbria crebris
Denticulis inciſa, albentes agmine denſo
Muſcoſi has inter flores venere & odore
Egregio, & gratas halantes naribus auras;
Immatura viret, ducit matura colorem
Bacca nigrum, duro nucleus certaverit ipſi
Coralio durus, curvum & glomeratur in ovum;
Galla tulit tellus magnæ vicina Toloſæ.
Et Pini latices, & humi naſcentia Fraga
Sanguine tincta juvant, terreſtres quoſque dederunt
Quadratos Tribuli fructus, mucrone & acuto
Armatos; viciæ folia his ſunt tenvia, flores
Exigui candent, alba eſt, fibrataque radix;
Vulgò inter ſegetes oris veniunt in Iberis,
Atque Italis ſæpe in terris, perſæpeque Gallis;
Croidon & hos aluit; celeres vivaria cervos
Quà claudunt ſeptis, cohibent damaſque fugaces.
Et Pſeudo-proſunt-dictamni ſemina, ſuave
Et Caryophyllus ſpirans, & Amygdala dulcis,
More exurgentis fruticis radixque Triphylli:
Huic dura emergunt, virgultaque lenta, coloris
Impensè viridis, cytiſi folia æmula, flores
Jaſmino accedunt crocei, labentibus illis
Piſa exæquantes baccæ ſubiere rotundæ,
Maturæ multâ quæ ſunt ferrugine tinctæ,
Semina ſunt lentis, ſummo contenta ſoloque,
Eſt tenuis radix, crebrâ fœcundaque prole;
Monſpelii paſſim cernas in ſepibus; illud
Parthenope & magno nutrit dilecta Maroni.
Utilis Anthyllis oriſque enata marinis

Siccata: huic tenues plura internodia caules,
Genvaque diſtinguunt, palmum ſuperare minorem
Vix poſſunt humiles, crebriſque anfractibus errant
Huc illuc, parco folia huic infecta virore,
Phœniceæ foliis anagallidis æmula formâ,
Stellati ſummo veniunt in vertice flores,
Herbidus atque illis color eſt, incluſa triquetris
Semina ſunt ſiliquis, radix defoſſa profundè
In terram gracilis, triſtis guſtantis in ore,
Atque ſalis ſapor eſt, tenuique imbuta calore eſt;
Inſula alit Thanatos pelagi vexata procellis.
Adde Chamæmelum, Tanacetaque amara, Thalictrum,
Quæque ciere ſolent urinam ſumpta morantem.

LUMBRICI.

SÆPIUS in tenero latitantes corpore vermes
Exercent crudele odium, lacerantque furentes
Viſcera; mille illis facies, & mille nocendi
Artes; hinc pallor pueris, hinc tormina ventris,
Hinc vigiles noctes, hinc lux & plena querelis.
Sint medicina mali Centaurea amara, Sabina,
Quæque ferunt ſteriles Abſinthia triſtia campi,
Cannabis & ſemen, & Praſſia candida, radix
Fœmineæ Filicis, Viſcus, gramenque Caninum,
Parthenium, Hypericon, creſcens atque Alpibus altis
Juniperus, radix Petaſitæ, atque Helleboraſter,
Allium, & Erigeron, Tanacetaque, Scordia, Ruta,
Heleniique recens ſuccus, viridiſque Galega,
Buniadis ſemen, ſemen Crithmique marini

Rhenenſi incoctum vino, Naſturtia, cortex
Juglandis, majuſque Sedum, atque Chamæcypariſſus,
Gentiana fugax autumno ſidere florens,
Et Pneumonanthe terram magìs omnibus unam
Humentem affectans, montanaque Fraxinella,
Spicatæ Menthæ ſuccuſque, Eruca, Nigella,
Succiſæ radix ſiccata, & citrina Stœchas,
Alba Corallina & pelagi ſatìs obvia in oris,
Cœruleo Aſſyrius flore & Convolvulus: illi
Sunt graciles caules, qui proxima quæque tenaci
Amplexu impediunt, propriis non viribus auſi
Fidere; non Phœbi ut Lupulus Tamuſque meantis
Obſervant motum, flexu aſt adverſo in eoas
Nituntur partes, lætas luciſque quadrigas
Creſcendo fugiunt, velantur frondibus inſtar
Hi trifidis hederæ, color eſt obſcurus & illis
Hirſutis, floriſque cavi campanula forma eſt,
Purpura quem veſtit dives, ſubiere rotundæ
Floribus & lapſis ſiliquæ, ſunt ſemina molis
Oblonga & viciæ, piceâ caligine tecta;
Frigoris impatiens radix aſſueta calori
Emoritur primo venientis ſidere brumæ.
Juvere & Laricis fungus, Dentiſque canini
Pulvis, & Antithoræ radix, incoctaque Baccho
Gnaphalia albenti paſſim pubentia lanâ,
Cardiaca, Abrotanum, chirurgorumque Sophiæ
Semina, Betonicæ pulviſque, acidi Tamarindi
Et folia, in pinguem Tabacaque cocta ſyrupum,
Graminis & ſuccus miſtus cum felle bovino,
Hôc medium ventrem, loca quæ vicinaque pubi,

Unge fovens circùm; prodeſt, cui ſal & acetum
Miſta ſimul fuerint, Serpyllum; grana Lupini
Candida, & exiguæ in morem compreſſa placentæ;
Sunt teretes illi caules, durique; ſuo qui
Robore ſtant fulti, ſeptem diviſa fluuntque
In partes folia, coeunt ipſo in pedicello
Viticis in morem caſtæ, pars prona vireſcit,
Incanâque albet lanugine amicta ſupina,
Languida flacceſcunt ſubito confecta dolore,
Cùm parat æquoreas Phœbus deſcendere in undas;
Purpurei hæc inter flores venere decori,
Hirſutæ ſiliquæ ſiliquas retulere geniſtæ,
Pingue ſolum renuit, ſiccis at gaudet arenis,
Fœcundos prolis flores peperitque ter anno.
Toſta in fornace & Coriandri ſemina proſunt
Miſta mero, radix Drakena, atque Indica Coſtus,
Pomorum grana Heſperidum, quæ ſemina mala
Medica dant, Mori radicis lutea cortex,
Hortenſis ſemen Coſti, Colocynthis amara:
Qui Cedro exudant latices; in vertice montis
Quæ Libani creſcit: tenues & truncus in auras
Sublimis; jactu nullæ ſuperare cacumen
Ex pharetrâ ſumptæ volucres potuere ſagittæ,
Quatuor amplecti nec brachia juncta virorum
Arboris immenſam molem; ſcriptis Theophraſti
Si qua fides magni; cortex quæ proxima terræ
Scabra riget, veniunt ſed quà virgulta tenella,
Tractanti eſt lævis, ſenſim decreſcit in arctam
Arbor pyramidem; rami ſunt ordine tali
Diſpoſiti, ut veluti ſumma ad faſtigia niti

Quis poſſit ſcalis, folia huic ſunt æmula pini,
Sed breviora, rigent nec acutâ cuſpide, coni
Abjetis & conos vincunt brevitate, deorſum
Nec pendent, ſquamis conſtant & mollibus, hærent
Amplexu ramis avido, nec vellere cuiquam
Illæſis ramis facile eſt, durabile in annos
Edurum eſt lignum, caries nec longa vetuſtas
Conſumit; ſacrum hôc Salomon de robore templum
Non aliam ob cauſam ſapiens conſtruxit; odorem
Eximium latè fundit, prædicere nimbos,
Et pluviam ſudore ferunt hinc facta; virore
Perpetuo arridet; Taurus peperere & Amanus
Æternâ nive veſtiti. juvat annua radix
Lepidii, Caryophyllus majorque, marinum
Et Myriophyllon: rectus petit aëra caulis
Altus ſeſquipedem, decorant ramique frequentes,
Plumarum in morem tenues, croceique coloris,
Quò magìs accedunt ſumma ad faſtigia, tanto
In minus arctantur ſpatium, foliiſque minutis
Squamarum in morem ſibi adhæreſcentibus exit
Pyramidatus apex, non ſemina continet ille,
Sed jam formatas veterum ſimulachraque plantas,
Quæ citò labentes imas ad marmoris undas
Subſidunt, actâ & radice imitata priores
Parturiunt virgulta, maris ſub gurgite lenta.
Sunt inſtar ſalicis, ſuperas venientia in auras
Dureſcunt, fragiliſque vitri ſimulare videntur
Ingenium; paſſim Illyricis innaſcitur undis;
Neptuni hoc Itali Sceptrum vertere vocantes.
Lacti incocta placent folia &, quæ Perſica malus

Fundit,

Fundit, frigida Portulaca, Anacardia nondum
Matura, in speciem cordis formata, Pelasgi
Hinc nomen posuere; Fabam dixere Malaccam,
Posthabito petiere Tago qui flumina Gangis;
Ardenti exustas fauces exulcerat æstu;
Qui nucleumque cutemque inter circumfluit, humor
Pinguis olivi instar; docto pergrata palato
Esca tamen nucleus stomacho acceptissima & ægro;
Est aliudque genus, quod crescit in arbore, mole
Quæ æqua pyro, foliis folia & sunt æmula olivæ,
Crassa tamen magè sunt, magè pinguia, tincta virore
Diluto, cerasi flores sunt, ast inodori;
Et mole & formâ referens satìs anseris ovum.
Succedit fructus, renisque imitata figuram
Nux venit extremis in partibus, æmula fructum
Vasa fabæ siliquis claudunt, hinc aureus exit
Fœtus, qui succo plenus, nares & odore
Qui recreet patulas spirans, fungosa medulla est,
Seminibus nucleisque caret, prædulcis in ore
Est sapor, acceditque pyro non dispare formâ.
Contulerit semen, quod lutea Atractylis edit,
Atque Chamelinæ succus, succus Chelidonî
Majoris; Aloe, quam dives Succotra mittit,
Hanc Columella Sedum vertit; sunt æmula scillæ
Huic folia, in longum spatium porrecta, recurva,
Lata tribus digitis, crassa, hamis obsita crebris,
Cœruleâ passim livent ferrugine, guttæ
Albentes & sæpe notant, it caulis in auras
Asphodeli similis, flores traxere colorem
Candidulum, modò cœruleos & purpura tingit,

Grana trigona nigrent, radix in viſcera terræ
It ſimplex, & craſſa; Indis reperitur in oris,
Atque Arabum peperit regio, quæ fertilis undis
Effuſis eſt, Nile, tuis Ægyptia tellus,
Euphratis Syria & magni contermina ripæ,
Utribus Europæ hinc triſtes portantur in oras
Incluſi ſucci, ſed & hanc genuiſſe feruntur
Arva Aſiæ, pelagoque Andros pulſata frementi,
Corduba Lucani natalibus inclyta, Mauris
Atque diu regnata feris Granata, jugiſque
Daunia clauſa altis, Italæ Trinacria terræ
Juncta olim, medio jam diſſita at æquore, paſſim
In tectis nutrit ſummis, Melita inſula Pauli &
Naufragio infamis. proſunt baccæque rubentis
Atque Ebuli; Ægæa & quæ Abſinthia amara Seriphus
Producit, ſanctum Semen dixere minores,
Et Sementinam, meliori voce Latini
Santonicam veteres, creſcat quòd Santonum in arvis;
Exurgit caulis cubitum prædurus in auras,
Fertilis in plures ramos & brachia ſpargens
Se, foliis fœcunda patent quæ tecta minutis,
Atque adeò hæc inter denſantur ſemina, ut omnem
Deceptus jures conſtare ex ſemine plantam;
Non Heliotropii ſpernendave grana tricocci.

MANIA & MELANCHOLIA.

SI ratio affecta eſt, recto & de tramite aberrat
Devia, ſi inſolitos jam mens emota furores
Concepit; medicis herbis compeſce phreneſim

Ocyùs, & læſo prudens ſuccurre cerebro.
Sanguinis hæc æſtum frænant, bilemque coërcent,
In ſummâ & pellunt bacchantes arce vapores,
Depreſſæ eripiunt tenebras & nubila menti,
Reſtituúntque diem : major Fumaria, pratis
Pimpinella nitens, Anagallis fœmina flore
Cœruleo, rubro quæ maſcula tincta colore,
Hellebori radix nigri, Plantagoque major,
Aſcyri, & Hyperici flores, Coris Androſæmum,
Bugloſſi folia & radix floreſque decorè
Purpurei, Lupulus, cor exhilaranſque Borago,
Sena infuſa ſero, Violæ miſtumque ſyrupo
Parthenium, Chermeſque, Thymi Cuſcuta ſodalis,
Rha Ponti, Origanum, Serpyllaque læta, Meliſſa,
Et Crocus; huic folia in morem ſunt graminis arcta,
Linea per medium decurrit candida, flos eſt
Purpureus, ſenis petalis & conſtat; eodem
Tempore nec folia & flores fas cernere; certo
Fœdere cùm luces æquantur noctibus, illi
E terrâ nudi capita erexere tenella;
Cùm verò geminos Pollucem & Caſtora fratres
Ingreditur ſol, illa virent; clauſere triquetræ
Semina quæ ſiliquæ, parvum glomerantur in ovum,
Ex duplici bulbo radix conſtare videtur,
Crebraque conjunctum membrana involvit utrumque;
Hinc fibræ pendent; medicos ſervantur in uſus,
Quæ è medio tantùm naſcuntur ſtamina flore
Lutea. candentis proſunt flores Lamiique,
Sanguineæque Roſæ, Mentaſtra & olentia latè,
Hortorum Coſtus, dat quos Ulmaria flores

Confertos,

Confertos, oris Eryngia nata marinis,
Serrato Ageraton folio, Cichoreaque agreſtis,
Atque Polypodio latices quos exprimit ignis,
Quodque Alypum venit clivoſi in vertice Ceti,
Gallis atque jugis, aut ſicubi glarea terras
Denſa operit ſteriles ; noſtris non creſcit in oris.
In binos, vel tres cubitos it in aëra caulis,
Hinc tenues virgæ veniunt, & vimina lenta,
Purpurea eſt cortex, Paphiæ ſunt æmula myrto
Et folia, hirſuti flores riguere comantis
In morem ſcabioſæ, & dives purpura tingit,
Craſſa patet binos digitos præduraque radix,
Obſcurâ facie, triſtis ſapor eſt Chamelææ.
Puleia atque juvant Aloe commiſta rubenti,
Et Tormentillæ radix flaventis, odora
Angelica, atque oris Thymelæa enata marinis;
Hanc linguâ dicunt propriâ ſed Maſſilienſes
Tarton-raire, oritur prope rupes illa Salerno
Vicinas, Alypum ſimulat, lanugine amicta
Sunt virgulta albâ, foliis argentea, molles
Lactea non vincunt quæ texunt vellera Seres;
Floribus eſt primùm candens color exiguiſque,
Dilutè flavent at adultâ ætate, coloris
Semina ſunt fuſci, radix eſt dura, ſaporque
Guſtantis fauces non multo exaſperat æſtu.
Utilis & multùm radix decocta Moringæ,
Non magnæ eſt arbor molis, nec brachia latè
Fundit opaca, viret lentiſci atque æmula, crebra
Tubera inæqualem reddunt, infecta virore
Sunt folia huic ſaturo, rapi & retulere ſaporem;

Æquavere pedem fructus octanguli, & illis
Radiculæ eſt moles, includit candida pulpa
Diſtinctis poſita in cellis affinia piſis
Semina, quæ virident, ſervant & adulta colorem,
Acrior eſt foliis ſapor his guſtantis in ore;
Dives alit Malabar Batavis habitata colonis.
Pomaque profuerint, quæ præbet Medica malus,
Non magnæ eſt arbor molis, ſunt brachia lenta
Ramorum, facilè & quaſcunque vocantur in artes,
Uda viret cortex, folia & ſunt æmula lauro,
Nec diverſus odor, pertuſa foramina viſûs
Penè aciem fugiunt, per certa atque intervalla
Emergunt ſpinæ, candori purpura miſta
Exiguos tingit flores, pubentia fibrâ
Stamina ſunt tenui in medio crebrâ, cucumiſque
Nonnunquam eſt moles, oblongaque forma, cutiſque
Auri inſtar rutilat, verruca & plurima ſurgens
Reddit inæqualem, gratiſſimus eſt odor illi,
Pulpa acido turget ſucco, triſtiſque cubile eſt
Seminis; exæquant, quæ dant atque hordea, grana;
Nec nocet æterno foliorum bruma virori;
Media fert paſſim, Latiis & venit in oris;
Quà pelagus raucis plangens circumſonat undis,
Inſulæ in Ægæo aluere & Cyclades alto,
Ultima & Heſperia; in Gallis quoque naſcitur arvis.

MAMMARUM DURITIES.

MAMMARUM duros ſolvunt admota tumores,
Althæa, Eryſimum, Mentaſtra, Farina fabarum,

Atque

Atque Apium, Græci Petro-dixere-ſelinon.
Solana & nigris baccis pulcherrima, Malva,
Caſtaneæque nuces, Lamiumque, Senecio, & Orchis,
Et Chærophyllon, pingui Violæque paluſtres
Muco oleo ſimili fœtæ, hinc cognomine docti
Pinguiculas meritò vocitant; his lutea quinque,
Fuſa & humi folia, referunt delphinia flores
Caudati, & violæ ſublucet purpura nigræ:
Triticeuſque juvat Furfur, qui miſtus aceto;
Iridis atque Oleum ſylveſtris, & herba Roberti.
Inque diem vivens conduxerit Hemerocallis;
Iridis huic folia, atque ſtriâ ſulcata frequenti,
Concava pars media eſt, curvati atque imbricis inſtar,
Hæc inter caulis cubitos duo ſurgit in auras
Nudus, at in ſummo fœcundus vertice plures
Scinditur in ramos, ſunt quales lilia flores
Candida dant formâ, croceo velantur amictu,
His tandem lapſis ſiliquæ ſubiere trigonæ,
Seminibus fœtæ nigris, ſplendentibus; albi
Aſphodeli radix bulbo eſt onerata frequenti;
Manè novo gemmas aperit, floreſque decoros
Expandit, minimas cùm ſol altiſſimus umbras
Præbet, at æquoreas cùm primùm inclinat in undas
Axem, tabeſcit ſenſim, poſitoque comantis
Floris honore perit. juvere Chamæpitys, ore
Atque Orobus triſtis: parvæ huic folia æmula craccæ,
Candeſcunt flores; ſiliquæ, quâ parte locantur
Semina, inæquales turgeſcunt; illa coloris
Sunt fuſci, exiguum glomerantur amaraque in orbem;
Eſt radix tenuis, ſimplexque; oris in Iberis

Sponte venit Latiiſque ſuâ, nemora avia, & umbras
Lucorum affectat. proſunt Naſturtia, Oryzæ
Et Syriæ pollen, flavo Ficaria flore,
Et veſcum Mannæ gramen: ſunt quatuor alti
Hirſuti cubitos caules, genibuſque, ut arundo,
Diſtincti crebris, foliis ſunt triticeiſque
Veſtiti, in plura expandunt ſe brachia, ariſtæ
Purpureæ includunt miliique ſimillima grana;
Prædura eſt radix, multis donataque fibris;
Juri incocta Italis, Germanis atque Bohemis
Semina grata placent; paſſim illis naſcitur oris.

MENSES MOVENTIA.

SI Luna integrum curſu confecerit orbem,
Nec ſolitas matrix effundat corpore fæces,
Menſtruum onus; veniet quanta heu! ſeges indè malorum,
Ni medicas adhibere manus, herbaſque valentes
Cura ſit, & fluxus nimiùm revocare morantes.
Utilis hìc Acorus, Crocus aureus, atque Chamædrys,
Aſparagi radix, Daucus, Becabunga, Meliſſa,
Et ſacra Junoni (cui vincla jugalia curæ)
Cardiaca, Helenii radix, Anonis aranti
Difficilis, Cyanus, Centaurea amara, Sabina,
Et data præda catis quæ Mentha cataria, Ruſcus;
Nec tibi diſpliceant generoſo infuſa Falerno
Puleia, Origanum, Lupulus, mas Mercurialis,
Quæque halant gratum Leucoïa lutea odorem,
Et commiſta croco Sambuci lenta flagella,
Juniperus redolens, Tanacetum, Salvia agreſtis,

Parthenium, Hypericon, Conyza, Chamæpitys, alba
Saxifraga, atque Apium, Calamintha, Abſinthia, radix
Graminis, Urticæ ſemen, Serpyllaque læta,
Præditus & ſuavi Cyperus longus odore;
Vulgaris folia huic ſunt æmula arundinis, illi
In tenues caulis ſurgitque triangulus auras
Ad binos cubitos; in ſummo vertice ſpicæ,
Quæ milii ſimiles; nigrâ radice tenetur,
Quæ longa eſt, latè & ſerpit fœcunda: juvantque
Aſphodeli cineres radicis, Porraque, ſemen
Thlaſpios, atque Filix, & Praſſia candida, Cæpa,
Atque rubens Blitum, Linaria lutea, Nardus
Italica, Erigeri ſuccus, Urſinaque radix,
Atque minor Stachys, & Naſturtia, Aquilegia, Tami
Radix, littoribuſque Eryngia nata marinis,
Herbarumque parens, dicta Artemiſia vulgò,
Et Clytia in parvum converſa ab Apolline florem,
Mollugo, Rubiæ radix, Mezereon, Arum,
Et Clinopodium origani non diſpare formâ,
Capparis hamatis circùm benè & obſita ſpinis,
Phillyrea æterno frondis celebrata virore,
Laſcivis Vitex & deteſtata puellis:
Nota cano; hæc etenim genitales corpore ſuccos
Abſumens Veneris flammas, ignemque coercet:
Profuit atque Aſarum, doctoque placens Avicennæ
Herba Eupatorium, referens atque allia odore
Heſperis, Oxalidis radix, Phyllitis, humique
Fuſa Chamæciſſos, capitis ſedanſque dolores
Betonica, urinis & quæ ſunt apta ciendis.

MENSES

MENSES SISTENTIA.

MENSTRUUS immodico ſanguis ſi exuberet æſtu,
Aggeribuſque ruat ruptis plena unda cruoris,
Vince malum properè, & venas compeſce fluentes
Ocyùs: hos herbæ plures quærantur in uſus,
Mentaſtrum, flores quos fert Roſá dicta canina,
Medica, Plantago, Quercûs Glandes, Cupulæque
Chaoniæ, & ſpinis ſurgens Paliurus acutis,
Horrentiſque rubi fructus, Rhæaſque papaver,
Polygoni in multos diſtinctaque gramina nodos,
Non genuum abſimiles, illi hinc nomenque Pelaſgum,
Argentum referens atque Argentina, Amaranthus
Purpureus; nullis vernans coma diffluit annis,
Sed viget æternos ſervans ſibi floris honores.
Proderit & craſſas inter non rara paludes
Enſe minax Iris, perfuſaque ſtamina Luto,
Vincaque pervinca; adde aſtringentia cuncta.

MICTUS INVOLUNTARIUS.

SANGUINIS in maſſam vitiati corpore ſucci,
Indigeſta mali moles, & cruda venena,
Delati, urinæ ductus, molleſque canales,
Obſcurum rimantur iter, cæcaſque latebras;
Hinc vires ſenſim minuuntur, viſcera ſævis
Æſtibus urgentur, lumbi hinc coxæque tumeſcunt,
Et ſitis exanimat, pituitæ hinc ſpumeus amnis
Sæpius ore fluit, mingens hinc neſcius æger

Nocturnas maculat veſtes, veſteſque diurnas ;
Promptam quærit opem, medicas & Apollinis artes,
Ni velit & digito monſtrari, & dicier, hic eſt.
Proderit hìc ſiccis creſcens Agrimonia ſylvis
Siccata, & pulvis Plantaginis, aurea Mala
Quam tibi dant cortex, & quos tibi Punica pomus
Sufficiet flores, Balauſtia dicta Pelaſgis,
Zinziber, Helenium, Angelicæ radix & Iberæ,
Mollis planta Mari, ſuperas ſed dura ſub auras
Coralium emergens, Chirurgorumque Sophia ;
Quæque ſolent nimiùm menſes cohibere fluentes.

MORSUS CANIS RABIDI.

SI quem fortè furens rabido canis ore momordit,
Vulnus & infuſum diſperſit in oſſa venenum,
Non ſubitò læſus ſentit ſua damna, ſuique
Securus medici auxilium aſpernatur amicum :
Aſt ubi viceno bis Sol emerſerit ortu
Tethyos è gremio, tenebriſque evolverit orbem,
Et toties feſſos agitârit in æquora currus ;
Tum demum manifeſta fides, & ſigna latentis
Apparent morbi, tortos depaſcitur artus
Febris, & arentes fauces ſitis opprimit, impos
Eſtque æger mentis, viſas horreſcit ad undas,
Quas priùs impavido crebrò tranâſſe natatu
Dulce fuit mediis æſtivi ardoribus anni,
Inſueti extrema & convellunt membra tumultus,
Nonnunquam, horrendum auditu! latratibus auræ
Æthereæ implentur. proſunt hìc Salvia agreſtis

Scordion,

Scordion, Angelicæ radix, Prunella, Meliſſa
Parcis grata apibus, terris & nata Bohemis
Scorzonera, locis humentibus, aut ubi opacis
Excludunt Phœbum arboribus nemora alta ; virentis
Et Lauri baccæ, arvorum Calamintha, Stachyſque,
Impoſitum plagæ Hypericon, Zedoaria, vitæ
Salvia amica, cavâ naſcentia candida valle
Lilia, miſta ſali Mentaſtra, infuſa Lyæo
Dauci grana, Ebulum, Polyrhizaque Virginiana,
Saxifragæ ſuccus, quæ Pimpinella vocatur,
Dum viret, agreſtis Fuſus, cuique Hernia nomen
Dat planta, Origani ſuccus, (quam vipera læſit,
Teſtudo inflictam hôc ſanat medicamine plagam,)
Cum ſale Bardanæ radix juvitque minoris,
Abrotanum, Laricis fungus, locaque humida paſſim
Phu minus affectans, vincens Aſclepias alba
Toxica, quæ inviſæ ſolitæ miſcere novercæ,
Cœruleo arridens Anagallis fœmina flore,
Exteræ alunt terræ, noſtris vix cernitur oris,
Si lætos, placidis Camus quos alluit undis,
Excipias campos : ignotâ ex arbore Myrrha
Contulit & triſtis, quæ dicta Coronopus, herba
Sylveſtris: folia huic ſunt plurima graminis inſtar
Tenvia, cana tegit paſſim lanugo, ſupina
Nunc funduntur humi, modò ſunt ſurrecta & in auras,
Limbum crena ſecat rariſſima, lignea radix
Longa, & craſſa parum, crebris firmataque fibris,
Sponte ſuâ ſummas venit prope littoris oras,
Sunt capita, & ſemen Plantaginis æmula formâ.
Hìc quoque contulerint Lenæo infuſa liquore

Carlinæ,

Carlinæ, Urticæ flaventia ſemina, lini
Æmula ſeminibus, croceæ ſuccuſque Zacynthæ
Matthioli, Vitis cineres cum melle & aceto
Incenſæ, Lycium, ſpinis quod ſurgit acutis,
Gramineis foliis Catanance prædita flore
Purpureo viciæ ſimili, cui Gentius olim
Herba dedit nomen, ſævis inimica venenis
Antiphthora, & Buxi lignum, Alyſſumque Galeni,
Miſta Jovi Ruta, & pollen, fœtens Cynogloſſon,
Herbaque ab Imperio nomen ſortita, Chamædrys,
Juglandiſque nuces miſtæ cum melle tenaci
Et cæpis, Mannæ Gramenque, Chamæcypariſſus,
Arboris in molem creſcens Saururus opacæ,
Craſſa patet digitum radix lignoſa, coloris
Candiduli, in plures radices fuſa minores,
Quæ vix in terram deſcendunt, acer in ore
Eſt ſapor, & grato mentitur aromata odore,
Pullulat hinc caulis, qui rectus in aëra tendit
Altus ſeſquipedem, digito nec craſſior ille,
Pluribus & paſſim nodis, ut arundo, tumeſcit,
Mollis pulpa implet, ſaturo tinctuſque virore eſt,
Ad medium teres eſt, paſſim verrucaque crebra
Scabra notat, plagâ ſciſſus patet atque frequenti,
Ad ſummum hinc turget genibus polygonus, & alba
Veſtit lanugo, folium internodia quæque
Emiſere, pedes binos eſt ambitus illi
Exæquans, cordi ſatìs æmula forma, ſupina
Ex viridi pallet facies, nervoque tumeſcit
Multiplici, viror eſt pronæ ſaturatior, ipſis
E nodis veniunt fructus mucrone retuſo,

Bis duo, vel quinque, exiguas retulere lacertæ
Qui caudas, planta hinc nomen trahit, eſt ſapor ore
Guſtantis primùm dulcis, pòſt acer & urens;
Hanc Hiſpaniola educit, quà garrula rauci
Murmura dant rivi, vel ſicubi ſylva, nigrumve
Arboribus crebris udâ nemus accubat umbrâ.
Et bene Sambuci folia hìc adhibentur olentis
Contuſa, & duris meſſoribus Allia lauta
Prandia, lac Ficûs & hiantis vulneris ori
Infuſum, oracla & ſi ſunt credenda vetuſta,
Trita Roſæ radix ſylveſtris, ſemina nigra
Pæoniæque maris, Succiſaque, frigida baccis
Solana & rubris, dulci incoctique Lyæo
Hirſuti palmæ fructus, & Amygdala, flavum
Herculeæ Panacis ſemen, grave olentia nigra
Marrubia, atque Orobus triſtis, plagiſque medendis
Sanicula apta, maris purgantes & Cynocrambes
Succi oleæ foliis, capitis ſedanſque dolores
Betonica, & Porrum, quod tonſile dicitur, illud
Quodque ferunt vineta, jugis & quod venit altis,
Clematis Americæ debens ſua nomina terræ,
Quæ natale ſolum, hìc cunctis in ſepibus illa
Obvia, ſarmentis ſcandit, quæ lenta, rotundæ
Et folia Ariſto-multùm acceſſere-lochiæ,
Lævia, nonnunquam canâ lanugine tecta,
Ex alis horum emergunt virgulta tenella,
Exiguis foliis quæ ſunt induta, minuti
Hìc veniunt flores, albis in veſtibus omnes
Agmine congeſti denſo, ſunt quatuor illis
Et petala, exurgunt tenui quæ cuſpide acuta,

Maturæ his lapſis baccæ ſubiere rubentes
Inſtar coralii, mole æquantes orobique
Semina, & exiguis pendent, velut uva, racemis ;
Antillæ irriguæ non uno flumine gignunt.
Quamque Ariſto-olim veteres dixere-lochiam,
Profuit, invento & nuper quod naſcitur orbe
Arum, hederæ foliis, pertuſa foramine crebro
Quæ ſunt, & truncos involvit, ut illa frequenti
Amplexu & ſtringit, caulis ſinuoſus, arantque
Squamoſum rugæ, cinerum eſt color, aſt viruere,
Quæ folia emittit, viſu pulcherrima, longa
Seſquipedem, ter tres digitos & lata, decemve,
Dividit & nervus, medio qui limite ductus,
Obliquiſque tument coſtis, has inter hiatu
Ingenti fiſſura patet, quæ vulneri aperto
Eſt ſimilis, folii facies hinc æmula larvæ
Tota horret, vulgaris ari qualiſque cucullus
Includit fructum, foliorum enaſcitur alis
Summorum, cubitum longus, ſubſtantia & illi
Membranæ, facieſque viret, quæ externa, crocoque
Altera contendat pellucida, fœtus aperto
Evolvit ſeſe mirabilis, æmula ſpicæ
Turcici & accedit frumenti forma, colorque
Aureus, in quinos digitos extenditur, unum
Actaque per medium (Græci dicunt Diametron)
Linea longa, tener multùm eſt, mirâque politus
Arte, & apum plures referunt pulchro ordine cellas
Cellæ hexagonæ, ſculptoris dixeris eſſe
Expreſſas cœlo & dextrâ, extat cœrulus umbo
In medio, incluſum nitidâ ferrugine tinctum

Sapphirum credas auro; fert inſula dicta
Martini, objectis quà immurmurat unda lapillis,
Quáque fluunt trepidi furtivo tramite rivi.
Hæc ſuper herbarum virtute, & viribus, illo
Tempore pangebam, quo belli incendia totam
Europam ſævis, heu! involvere ruinis,
Quóque ſuò penè eſt exciſa Britannia ferro:
Cùm ſol inſolitâ texit ferrugine vultus;
Cùm viſæ cœloque faces, atque agmina denſa
Pugnantûm, adverſis & pila minantia pilis,
Augurium triſte, & divini ſigna furoris!
Dii patrii, ſervate domum, ſervate nepotes.
Jam me per rupes & inhoſpita ſaxa ſecutæ
Pierides, ſylvarum umbras, valleſque profundas,
Fluminaque, & rivos, & inertia ſtagna, frementes
Velivolique maris fluctus, perculſus amore
Chloridis ingenti dum cunctis orbis in oris
Mente vagor, feſſum Parnaſſi in vertice montis
Siſtite, & in veſtris fas ſit requieſcere lucis,
Sanguine dum gaudens crudelis ſævit Enyo,
Atque impacatos agitat diſcordia cives.

NARCOTICA.

HÆC opii vires imitantur, & illius inſtar
Inducunt ſomnum, ſedant & amica dolores
Vi quâdam ignotâ nobis, penituſque latenti,
Lactucæ folia & flores ſylveſtris; amanſque
Rudera Hyoſcyamos, Lolia atque inviſa colonis,
Flaventeſque Croci flores, Cereale Papaver,

Atque Ceratitis fluctu conſperſa marino,
Abutili in dulci potataque ſemina vino;
Quatuor ad cubitos prædurus in aëra caulis,
Et teres exurgit, folia huic lanugine tecta
Sunt tenerâ, ad tactum quæ mollia, lata, rotunda,
Ni parvus prohiberet apex; funduntur ab alis
Illorum crocei flores, nec diſpare formâ
Althææ; ſiliquæ, quæ claudunt ſemina, nigræ,
Incurvæ, plures junctæ, ſunt grana coloris
Et picei, exigua eſt radix, moriturque quotannis;
Hiſpanis paſſim, atque Italis reperitur in oris.
Lethiferique juvant Solani poma, & Iaccho
Coralii infuſus pulvis, Roſa candida, Arecæ
Et fructus, Faufel Arabes vertere vocantes.
Immenſæ eſt arbor molis, ſublimis in auras
It truncus tenues, nulli faſtigia ſumma
Aſcenſu ſuperare licet; nam lævis opacis
Eſt nudus ramis, crebris hinc funibus Indi
Circumvolventes ſcandunt per certa ligatis
Intervalla, agileſque ferunt ex culmine fœtus
Speratos, palmæ fructus multùm referentes,
Maturos mollis cingitque ſimillima pulpa
Juglandis, nux ipſa latet ſub tegmine lævi,
Moſchatæ cognata nuci, verùm amplior, illa
Duritie ferrum læditque, notata frequenti
Eſt paſſim venâ, quæ nunc albeſcit, & oſtro
Nunc ardet Tyrio, palmam rami retulere;
Crebrò alit & Malabar, Guzurata, Decanque, Cochinque.
Profuit & ſuccus Tabaci injectus in alvum,
Mandragoræ expreſſi latices, Cichoreaque flore

Cœruleo, infuſa atque oleo redolentia Anetha,
Nymphææque oleo frons & cava tempora pingui
Sæpius ungantur, placet atque oleum Violarum,
Adde Cynogloſſon linguæ conforme caninæ.

ODONTALGIA.

E Capite in teneras deſcendens frigidus imber
Gingivas onerat glandes, pituitaque plenis
Præcipitans rivis urget vicina, poriſque
Inſinuat ſeſe, & foribus bacchatur apertis:
Hinc dolor immanis dentes premit; acrius illo
Tormentum Siculi non invenere tyranni;
Solamen medicis citò conquiratur ab herbis.
Utilis hìc pulchræ debens ſua nomina Daphne
Clematis, & foliis ſerratis, cuſpide acutâ
Ptarmica, (ineſt illi ſternutamenta ciendi
Vis, acri patulas nares dum ſtringit odore,)
Et quas vere novo radices Primula veris
Emittit, priùs at multo ſaturentur aceto
Infuſæ, radix ferventi imbuta ſapore
Lepidii, & primi Chelidonia nuncia veris,
Dicta minor, ficis ani ſatìs apta medendis,
Cuique dedit nomen foliorum argenteus ordo,
Argentina micans, Pyrethri radix & Iberi,
Herbaque, quâ pullis pia lumina reddit hirundo,
E ligno Buxi pinguis qui defluit humor,
Calthaque ſylveſtris inter vineta reperta
Gallica, Sphondylium, mordentis grana Sinapi,
Rugoſumque Piper, ſiliquis & Capſica rubris,

Zinziber,

Zinziber, & bulboſa Iris, Naſturtia, Thlaſpi,
Angelica & ſylvis gaudens humentibus, acris
Lac Eſulæ, atque apii folio Ranunculus udas
Affectans terras; juvat hìc & flore virenti
Helleborus niger hortorum, muris & amica
Helxine, Quercûs gallæ, Verbaſcaque vinis
Infuſa auſteris, Anagallis flore rubenti,
Balſaminæ folia, & dubii Rhus incola Nili,
Sanguineæ baccæ Virgæ, Piper atque paluſtre,
Et Pentaphylli radix incocta Lyæo,
Pingue oleum Origani, molli & lanugine tectus
Carduus, Abrotanum, Pſeudo-ſemenque-Melanthî,
Luteolæ radix, Cuculi Flos, naribus hauſti
Terreſtris latices Hederæ, Phœbæaque Laurus,
Portulaca, fluit Cedro quod gummi, in aceto
Infuſum, lacrymæ Lentiſci, incoctaque vino
Nigræ Alni cortex, radix Plantaginis, atra
Et Seſeli radix pratenſis, lacque, venit quod
E læſis Ficûs foliis, & ſemina Lappæ,
Et radix, fuſcum quod dat Staphys Agria ſemen,
Albi & Hyoſcyami radix, croceive, Meliſſæ
In vino ſuccus, Sampſuchus, Capparidiſque
Armatæ ſpinis cortex, Colocynthis amara,
Tabaci ſuccus, Vitis vigor æthereuſque,
Atque moram tardis faciens Anonis aratris,
Et Platani cortex gratas potantibus umbras
Præbentis; ramis ingens felicibus arbos
In cœlum erigitur, Chriſti folia æmula palmæ
In digitos quaſi ſciſſa fluunt, majoraque vitis
Sunt foliis, ſummo muſcoſi in vertice flores

Exigui flavent dilutè, fructus in orbem
Fingitur hirſutus, moles juglandis & illi,
Spargenti ſeſe latè radice tenetur ;
Quà Libyam Europæ Tanais ſejungit ab oris,
Sponte venit, riguis & Cretæ in vallibus, alto &
Proxima Atho tulit & victis celeberrima Turcis
Naupactus. Laſeris radix, Aſtrantiaque odora
Hìc proſunt, Pini cortex, humiliſque Myrica,
Et Myriophyllon, Plinî Plumbago ; oriuntur
Radice è craſſâ caules cubitos duo in auras
Elati, folia his glaſti ſunt longa coloris,
Quæ nimio linguam vellant imbuta calore,
Purpurei veniunt in ſummo vertice flores,
His lapſis ſubeunt hirtæ ſiliquæque micantes,
Quæ exiguo & nigro ſunt vulgò ſemine fœtæ ;
Roma alit hanc inter ſepes, & pinguia culta.
Profuit & Mori cortex, Hederæque corymbi
Triti, & punicei calefacti in cortice mali,
Si roſeum infundas oleum, vergas & in aurem
Adverſam, ſævos ſubitò lenire dolores
Dicuntur, medico ſi magno danda fides eſt
Ulla Dioſcoridi ; radix Oreoque-ſelini,
Ardentique placent quæ fœta Anacardia ſucco.

OPHTHALMICA.

MILLE mala infeſtant oculos, nunc undula opacat,
Dum tenui obducit tunicam, cui cornea nomen,
Membranâ ; Glaucus nunc & Cryſtallinus humor
Redditur, (hinc vitium dicunt Glaucoma Pelaſgi)

Nunc albæ officiunt maculæ, nunc gutta ſerena,
Cùm ruit in nervum, qui dicitur opticus, imber
Frigidus è cerebro, muſcæ nunc nare videntur
Aëre in obſcuro, nebulæque, & vellera Arachnes,
Nunc Cataracta nocet; radios admittere ſolis
Dum pupilla nequit denſo circumdata amictu,
Nunc ſcintillarum confuſum cernitur agmen.
Hìc tibi præ cunctis herbæ credantur amicæ;
Verbena in Latiis ſacris celeberrima, flores
Cœrulei Cyani, Chelidonia major, Erica
Nata ſolo ſterili, radice atque Intyba amarâ,
Incola lucorum Caryophyllata, & odora
Semina Fœniculi, fumo & Fumaria nomen
Herba ſuum debens, Holoſtea verna, & agreſti
Elicitus malo ſuccus, ſalicis lacrymæque,
Quamque includit aquam foliorum concavus ordo
Dipſaci, & Helenium, Linaria lutea, ſylvis
Valeriana frequens humentibus, atque Hormina,
Puleium, & ſalicem referens Salicaria, ſemen
Caucalidis, rivis gaudens & Populus alba,
Oxymel & Scillæ, flores Roriſque marini,
Euphraſia in pratis pulcherrima, naribus hauſtus
Sæpius & Menthæ, quæ dicta Cataria, ſuccus,
Miſtaque flaventi Centauria triſtia melli,
Et paſſim Galatis creſcens in montibus acris
Harmala; huïc folia erumpunt anguſta, & acuta,
Candiduli flores, & grana triangula rubra,
Naribus ingratum diſpergit in aëra odorem.
Proderit & gummi, Ceraſi hìc admota recentis
Temporibus Polii folia & lanugine cana,

Cerinthe commista croco, Crambeque comesta,
Et Cristæ galli latices, & semina, Ruta,
Atque Antirrhini latices, Alcæaque collo
Admota, & Calthæ succi, Cucumisque asinini
Naribus attractus mixtus cum lacte recenti
Succus, radicis siccæ & pulvis Glycyrhizæ,
E cedro exudans gummi, contusa Chamædrys,
Tabaci succus viridis leni igne tepentis,
Et minor & major Bellis, Melilotus odora,
Arboris & tristis latices; Goa Parizataco,
Gul Persæ Turcæque, Arabes dixere Guartque,
Pul vocat ast Decan, vocat & Singadi Malago;
Sunt folia huic pruni, nec moles distat olivæ,
Spargitur in plures ramos, candore nivali
Arrident flores, Jasmini qui æmuli odore,
Et specie, expandunt pleno sese ore, tenebris
Cùm nox furva tegit terras, cùm lampade Phœbus
Ardenti exoriens humentes discutit umbras,
Mœrentes capita inclinant, & lumina clausis
Effugiunt foliis, atavis hanc regibus ortam
Esse ferunt Indi formâ præstante puellam,
Quæ, cùm sol nimio sequeretur saucius igne
Amplexum exoptans, sylvâ stetit arbor opacâ,
Facta precum compos; illæsi tanta pudoris
Cura fuit! prosunt Hedera & terrestris, amari
Marrubii latices excepti naribus, Arum,
Atque Cyclamini succus cum melle liquenti,
Sesamum & incoctum vino, majusque Triphyllon,
Mandragoræ succus, latices, quos exprimit ignis
Floribus & prati reginæ albentibus, album

Verbaſcum, & triſtem quem dant Hieracia ſuccum,
Moly quod & fundit gummi, ſi in lacte ſolutum.
Arboris eſt ingens moles, truncuſque vireſcit
Obſcurè paſſim maculis aſperſus, & ollis
Palleſcens cinerum color eſt, ramique frequentes
Inducunt umbras, avidos & imagine amœnâ
Spectantûm paſcunt oculos, accedit & orno
Virgilii facies foliorum, à ſtipite vulſa
Lacte fluunt lento, gratum quod preſſi & odorem
Fœniculi referat, ſapor eſt guſtantis in ore
Auſterus, vitis denſi flores imitantur,
Paulò ante exortum uvarum, ſubiere rotundæ
Poſt lapſos baccæ, nigris ſimileſque liguſtri
Sunt baccis mole, at maturâ ætate colorem
Obſcurè rubrum ducunt; in vallibus imis
Peru alit ubertim, cœli inclementia noſtri
Frigora non patitur, telluri aſſueta benignæ.
Doronica & juvere, Fabæque farina roſarum
Miſta oleo, & Platani folia ampla, & Tamalapatra,
Malabathrum veteres meliori voce Latini
Dixerunt, Arabes imitati: eſt arboris hujus
Heſperidum mali facies, frondes nec abhorrent,
Ni majora forent; mucrone armantur acuto,
Splendeſcitque viror, terni per ſingula nervi
Diſcurrunt tenues, ſolo hôc cognoſcere promptum eſt,
Cinnama olent; felix Cambaya & Arabia nutrit.
Cervinum in vino cornu juvat, atque Dracontî
Succus, Achillæa, & ſylvis creſcens Anemone,
Atque Sedum majus, montanaque Thymbra, Syræque
Acaciæ ſuccus: folia huic ſunt plumea crebra

In morem lentis, niveo velantur amictu
Flores, ſunt ſiliquæ compreſſæ, ſemina lucent
Lævia, cauliculus ſpinis armatur acutis,
Eſt fruticis natura, tulit Nilotica tellus,
Victriceſque ferax palmas quæ mittit Idume;
Ocymi & agreſtis latices, argentea Stœbe,
Triticeus vino pulvis commiſtus Ibero,
Atque aconita juvant hyemalia: protinus ipſâ
A radice fluunt viridi ſaturata virore
Nodosâ folia, & crebris inciſa profundè
Vulneribus, rutilo multùm flos flavus ab auro
In medio exoritur, qualis ranunculo in agris
Paſſim creſcenti, vireſque à frigore ſumit;
Succedunt ſiliquæ, quæ fuſco ſemine fœtæ;
Helvetii montes, & docta Bononia gignunt.
Et Caryophyllo pinguis qui defluit, humor
Profuit; eſt lauri facies, eſt cortice tectus
Subrufo truncus, rami longi, fragileſque,
Hinc folia emergunt, quæ prorſus laurea formâ,
Aſt magìs anguſtâ, & latitant ſub tegmine flores,
Qui primùm candent, pòſt & viruere, trahuntque
Dein nimio rufum durati ſole colorem;
Ubertim hanc nigræ paſſim peperere Moluccæ.

OTALGIA.

SÆPE dolor vehemens affectas vulnerat aures,
Ictibus aſſiduis tundens, perſæpe ſonori
Auditi cantus ægro abrupere quietem,
Tenvia dum nimiâ ſtipantur tympana cerâ,

Mugitque incluſa anguſtis penetralibus aura
Mobilis, & ſeſe magno ſtridore volutat
Murmuri apum ſimili, vel tintinnabula qualem
Pulſa dedere ſonum, nunc rauci fluminis undis
Eſtque fragor ſimilis, vermes & ſæpe moleſti
Morſibus exagitant, & crebro dente fatigant.
Hìc tibi præ cunctis plantæ credantur amicæ,
Angelica, Helxine, quæ muris fixa vetuſtis,
Aurea Gallorum qúæ Pulmonaria dicta,
Pulmonum vitiis quòd ſit medicina, Cumini
Cum melle agreſtis ſuccus, adipe aut vitulino
Commiſtus, Carique oleum, mas Mercurialis,
Semina cui teſtes referentia, felle bovino
Miſtum oleum Agarici, pallenti Seſama grano,
Populeæ latices frondis, terræque Corona,
Dicta Chamæciſſos, niveo fœtuſque liquore
Sonchus, Hyoſcyami ſuccus, & Amygdala amara,
Perſicæ & è nucleis expreſſum juvit olivum,
Atque cyclamini radix infuſa vigori
Æthereo, vini ficûs lac, lenta Salixque,
Fraxini & incenſæ fumus qui eſt auribus hauſtus,
Quaſque vomunt ſpumas violento torrida ab igne
Stridula ligna, oleum Tabaci, Abſinthia melle
Miſta, Acini ſuccus cum nitro, atque Helleboraſtrum,
Helleborus nigricans, anguina Cucurbita, aceto
Infuſa & Cedrus, Coriandri ſemina, olenſque
Hyſſopus, Ricini ſemen, Cucumiſque Aſininus,
Punicei Rutæ tepefacti in cortice pomi
Ingrati ſucci, Lyciumque, argentea Stœbe;
Eſt Jaceæ genus hæc, cùm primùm in luminis auras

Venerunt

Venerunt folia, egregio ſunt tincta virore,
Fuſa & humi, plagis multúmque inciſa profundis,
Diſtinguitque frequens argentea linea, nomen
Hinc trahit, hæc inter rectus petit aëra caulis
Tres altus cubitos, fragiliſque, hirtuſque, feraces
Et fluit in ramos, ſquamati in vertice flores,
Oſtro ardent Tyrio, componunt ſtamina densè
Compacta, his lapſis ſuccedunt lubrica grana,
Tacta manu leviter fugiunt quæ, ſemine radix
Maturo perit, in terris reperitur Iberis,
Muſarum ſedem quà Tormes alluit undis;
Braſſica & inviſo ſi ſit ſociata Lyæo
Utilis, & Porri ſuccus cum thure, & aceto,
Lacte, oleoque roſis expreſſo, ab Apolline amata
Daphne, Pix liquida, & prodeſt Colocynthis amara,
Melli & aquæ admiſtum quod Ledanon, & Benedictus
Carduus, & Lupulus, Balanuſque Myrepſica, ſuccus
Cannabi & elicitus, miſtus cum lacte recenti
Origani ſuccus, pinguis gummi Styraciſque;
Sphondyliique juvant flores, ſiliquæque virentes
Juglandis, vino incocta & Melilotus odora,
Plantago atque oleo per menſem infuſa roſarum,
Atque corymbiferæ latices Hederæ, redolenſque
Sampſuchus, ſuccus læſique Papaveris, albo
Infuſum vino Rha Ponti, atque Hordea pollen
Quod contuſa molâ præbent, pollenque Fabarum
Cum melle & ficis, ſiliquâ & dictâ Columellæ,
Salvia cana comas, Apium, Lignumque Moluccæ
Arboris, hôc vulgò donatur nomine; Malum
Mole exæquaret, quæ dicta Cydonia; crebris

Sunt

Sunt folia huic plagis diſſecta, atque æmula malvæ
Quæ foliis, fructuſque nuces æquare colurnas
Vix poterit, forma haud diverſa, putamina nigrent
Mollia, ſponte ſuâ non paſſim naſcitur agris
Obvia, ſed cultis tantùm reperitur in hortis
Indorum; indigenæ lignum dixere Panava.
Sanguine & è Veneris Roſa quæ eſt enata, Lyæo
Dulci incocta juvat, Viſci ſuccuſque recentis,
E nucleis Mali Armenii qui defluit humor,
Punicei latices pomi, latices Sycomori,
Betonicæ incenſæ fumuſque, & Praſſia, Mentha,
Pingue Sedum, inſipidæ fabrorum prandia Betæ,
Alſine, Thymbræ ſucci, ſuccique Aparines
Hirſutæ, atque Ebuli baccæ, Sambuci & olentis
Baccarum ſanguis, Solanaque frigida, radix
Capparidis, caſtæ nimiùm dilecta Minervæ
Atque Olea, Eryſimum, Moly, Puleiaque odora,
Balſama, quæ Gilead, quæ dives mittit Idume,
Iridis atque oleum, Hieracia triſtia, & alvum
Moturæ Malvæ molles, & Tacamahacca,
Dipſacus, Hydropiper, flores Roriſque marini,
Pſyllion, atque Abies, querno folioque Chamædrys,
Triſtis Myrrha, frequens arvis Calamintha, & Eryngî
Succus litorei, paſtoris Burſa, & odora
Juniperus, centum quæ Centinodia nodis
Turget, & in ſiccis quærenda Agrimonia foſſis,
Auriculæ & ſimilis, qui creſcit in arbore Fungus
Sambuco, in vino, Rheno vicina bicorni
Quod vineta ferunt, incoctus; Cinnama, Nardus

Moſcha-

Moſchatæque nuces, viridiſque Lavendula flore
Cœruleo, Hypericon, Clymeni baccæque nigrantes.

PARALYSIS.

DUM nimio læſi ſolvuntur frigore nervi,
Mucoſo & tenues ſtipantur glutine ductus,
Vique carent fibræ, fermentaque languida tardi
Ventriculi torpent, nativo orbata calore,
Sanguis ſtagnat iners, vitalis ſpiritus artus
Deficit intus alens, motus ſenſuſque morantur,
Parſque affecta perit, vivit pars altera damni
Expers, & ſani peragit bene munera membri;
Non ſecus ac ventos quercus perpeſſaque & imbres,
Hinc viget & ramos expandit læta virentes,
Illinc effœti deplorat robora trunci,
Paralyſim morbum veteres dixere Pelaſgi;
Hìc tibi quæ Latiis invexit finibus olim
Lucullus poma, Ceraſuntis ab urbe vocata,
Apta malo, proſunt tenuis flores & Ericæ,
Quæque halant gratum Leucoïa lutea odorem,
Lilia ſæpe cavâ montis naſcentia valle
Candida, vere novo nares recreantia, lenti
Et pulvis Viſci, quòd non ſua ſeminat arbos,
Auricula atque udis inventa paludibus urſi;
Purpurei huic flores, folia & conſperſa farinâ,
Atque albæ Vitis radix, & lenta flagella,
Semenque, Origanum, Rhamnuſque catharticus, arvis
Caltha minor creſcens generoſo incocta liquore,
Aſperulæ flores, Libani quæ plurima arundo

Monte

Monte viret, ſuavem diſpergens undique odorem,
Atque minor Bellis, Betonica, Peucedanumque,
Conſpicua & niveo ſylveſtria Holoſtea flore,
Stœchadis & flores, foliiſque Lavendula latis,
Eliciti Hyperico latices, repenſque Chamædrys,
Salvia, Capparides, Verbaſcula, Primula veris,
Sampſuchus, Tiliæ flores, mordenſque Sinapi,
Cardiaca, & Coſtus, quæ dicitur Indica; pinguis
Admota ad Phœbum calefacta Alnique dolenti
Quæ folia; hæc tardum pellunt ſudore venenum:
Sarmenta & proſunt, quæ nigra Bryonia fundit,
Narciſſi latices, Pyrethri radix & Iberi,
Braſſica, & Euphorbi ſuccus, atque illita vera
Balſama, cœrulei flores Roriſque marini,
Moſchatæque nuces, & Cinnama, Celtica Nardus.

PARONYCHIA.

SÆPIUS abſceſſus natus radicibus imis
Unguis torquet agens, diro digitoſque dolore
Excruciat, nervos, perioſtea tenvia, & ipſa
Oſſa vel erodens acri quandoque veneno.
Herba trahens aptum morbi de nomine nomen
Sit medicina mali præſens, Hormina in aceto
Infuſa, in triſti folia & contuſa Prunellâ,
Aſphodeli in vino radix decocta, paluſtre
Atque Apium, hortorum atque Atriplex quæ candida, Pollen
Triticeum, & nimio fauces quod vulnerat æſtu
Hydropiper, gelidis quamvìs naſcatur in undis,
Solvere quæque ſolent duros admota tumores.

PESTIS.

PEstis acerba furit? non illâ ſævior ullus
Morbus, & ira Dei Stygiis ſeſe extulit undis.
Continuò cernas diro data corpora letho
Plurima, perque urbes latè contagia ſpargi,
Et populos; teneros nullo diſcrimine dura
Mors rapit infantes paſſim, juveneſque, seneſque,
Crudelem rabiem exercens, atque impia jura.
Certa luis tibi ſigna dabunt præſagia ſacræ;
Spontè etenim laſſis obrepunt tædia, pronus
Ad vomitum ſtomachus, languent in corpore vires
Proſtratæ ſubitò, fauces ſitis urget, & æger
Deficit, atque oculis caligo incumbit opaca,
Cor tremit, & vigiles ſomni ſinè munere noctes
Labuntur tardæ, capitis dolor opprimit ingens,
Et calor immodicus conceptus pectore ſævit,
Nec ratio conſtat, convulſaque membra laborant;
Ardentes papulæ, & variis lita corpora guttis
Apparent, comes it Pandoræ exercitus omnis.
Si ſit origo mali divini numinis ira,
Una ſalus precibus fuſis orare ſalutem,
Et lacrymis, ſi fortè Deus miteſcere diſcat
Victus, & auxilium miſerans det rebus in arctis:
Hæ Niniven ſolæ rapuere ex faucibus Orci;
Si verò in causâ fuerit vel putridus aer,
Dum tetri ſciſſâ erumpunt tellure vapores,
Vel cœli influxus varians, atque aſtra maligna,
Hæ non parva ferent ægris ſolatia plantæ:

Phœniceo arridens Anagallis maſcula flore,
Fœmina cœruleo, Græci cognomine dicunt
Corchoron, has ambas Lenæo infunde liquori,
Quatuor herba Paris foliis notiſſima, & unâ
Baccâ, Ari radix maculoſi, Scordion udas
Affectans terras, radix Petaſitæ, & agreſtis
Salvia amans ſylvas umbroſas, fervida radix·
Et Pimpinellæ majoris, Rutaque, ſuccus
Succiſæ, atque Hederæ baccæ, fœtenſque Thalictrum,
Pomaque Juniperi, bulbo Ranunculus albo,
Radicis ſuccus quem dat Chelidonia, flavus
Vino albo admiſtus, triſti & ſaturatus aceto,
Sit cui infuſa diu arridens Roſa plurima rubris
Floribus, hoc multos Stygiis ſervavit ab undis,
Et diſperſa foras pepulit ſudore venena;
Utilis & cortex Sambuci in lacte recenti
Incocta, aut leni Baccho, Monophyllon & umbris
Obſcuris nemorum gaudens, & vallibus imis,
Mordentis Raphani contuſaque ſemina potu
Hauſta apto, Angelicæ radix, Verbenaque ſacra,
Montibus & creſcens Aſtrantia odora Tridenti
Angelicæ ſimilis, tenui & lanugine tecta
Pulſatilla rubens: folia huic ſatis æmula cari
Sunt foliis, nudis, hirtiſque in caulibus hærent
Egregiâ flores facie, campanula forma eſt,
Luteaque in medio denſantur ſtamina, & inter
Hæc ſtylus exurgit tenuis, cui flore cadente
Canis fœta comis ſubeunt capita, intus habentque
Compreſſa, & glauco pallentia grana colore,
Cuique ſuus pilus eſt, radix in viſcera terræ

Recta agitur craſſa, in digitum porrecta, frequenti
Nodo & inæqualis; Gallorum naſcitur arvis
Incultis, & ſponte tulit Germania, ſaxa
Et rupes inter, noſtris non cernitur oris.
Profuit & multùm major Biſtorta, malignæ
Atque inimica Phthoræ florens in vertice Juræ
Antiphthora, & radix Dictamni flore comantis
Purpureo, non qui Cretæâ naſcitur Idâ,
Sed qui ſpontè colit rapido juga proxima Rheno,
Hunc Fraxinellam à folio dixere minores;
Et Scabioſa juvat, Barba hirci, Aſclepias alba,
Et Caryophyllus, Caryophyllata, Galega,
Carduus & dictus Benedictus, & æmula fragis
Poma ferens Italis bene cognita collibus arbos
Arbutus, hanc Comaron veteres dixere Pelaſgi;
Erumpunt folia huic laurum referentia craſſa,
Dilutéque virent, crenatus & undique limbus
Parte ſui mediâ rubrum traxere colorem,
Uda rubet cortex, ſquamâ diſtincta frequenti
Aſperâ, & è trunco ramorum congruus ordo
Surgit, & ingenti feſſos bene protegit umbrâ,
Cùm jacit ardentes radios per nubila Phœbus,
Candiduli flores imitantur lilia vallis,
Longa catenatis dependet & uva racemis;
Hinc virides primùm, crocei dein, atque rubentes
Extremò emergunt fœtus, pulchréque rotundi,
Aſper in ore ſapor; ſtomacho capitique nocivus
Unedo, (Romani hôc fructum cognomine dicunt)
Sed folia, & flores membris infuſa venena
Vino incocta fugant, vivacis cornua cervi

Si fuerint injecta unà ferventibus undis,
Oſſaque, præcipuè os medio quod corde locatur.
Juvere & Lauri baccæ, laticeſque Dracontî.
More anguis caulem maculoſi, & Amaracus, udo
Tormentilla ſolo veniens, ſuccuſque Tabaci
Epotus, Calthæ flores, radixque potentis
Carlinæ, Eryſimum, Myrtus, Paliurus acutis
Armatus ſpinis, radix Drakena, Styraxque,
Juglandiſque nuces conditæ, Fungus amaræ
Et Laricis, Ficus, Atractylis, Helleborique
Albentis radix, Apiumque, & ſemina Dauci
Cretæi dicti, quamvìs Jovis inſula ſola
Non gignat; variis nam montibus ille frequenter
Germanis oritur, rupeſque tulere Genevæ
Vicinæ, ſummi dant & latera ardua Juræ :
Tenvia fœniculi folia huic ſatìs æmula, caulis
Seſquipedem eſt altus, ſummo ſunt vertice Anethi
Umbellæ, & flores, lapſis his grana Cumini
Pallentis veniunt non multùm aliena, & odoris
Eximii, atque acer ſapor eſt guſtantis in ore,
Eſt paſtinacæ radixque ſimillima agreſtis.
Profuerint Tribulus terreſtris, Medica ſuccos
Quos dant mala acidos, proprium cui Gentius olim
Herba dedit nomen, Zizyphi cum melle liquenti
Et folia, in ſummis quæ hæreſcunt pendula ramis,
Herculea atque Panax, crebris atque aſpera ſpinis
Smilax, eois veniens Cyclaminus ab oris
Porcis eſca avidis, radices atque Phalangî :
Gramini huïc folia haud multùm diverſa canino,
Craſſa tamen magè ſunt, magè ſunt & pinguia, & illis

Dilutus viror eſt, caules tolluntur in auras
Plùs cubitum, plures ramoſo in vertice flores
Cernuntur nivei, ſunt candida ſtamina flavo
In medio commiſta croco, labentibus illis
Semina ſuccedunt, quæ nigro infecta colore,
Forma triquetra illis, crebra eſt & candida radix;
Sponte illud terræ paſſim peperere Subaudæ.
Origanum infuſum vino, & Veronica repens
Hìc quoque profuerint, foliis & prædita binis
Ophis, Tripolium, candentia Praſſia, Lenſque
Incola ſtagnorum, Lobeli Doria: lata
Sunt folia huic, longum in ſpatium porrecta, in acutum
Mucronem tenuata, virent ferrugine tincta
Pinguia & obſcurâ, gratum ſpirant & odorem
Preſſa manu, cubitos caulis duo ſurgit in auras,
In plures fuſus ramos, in vertice ſummo
Exigui flores croceo velantur amictu,
Qui in pappum verſi volitant, quò ventus & aura
Impellunt, craſſa eſt radix, ſuffultaque fibris;
Narbo alit; irriguique placent in vallibus amnes.

PHTHISIS.

Haud dubiis morbum hunc poteris cognoſcere ſignis:
Languida continuâ tabeſcunt corpora febri,
Quæ magè poſt epulas diro excandeſcit ab æſtu;
Hinc crebrò celeres ſaliunt & ſanguine venæ,
Suffuſæque rubore genæ; cùm tuſſis anhela
Opprimit, egeritur grumis admiſta cruentis
Aut pure immundo ſanies, quæ fœtet in ignem

Conjecta; ast in aquas, fundum subsidit ad imum;
Ingruit atque frequens nocturno tempore sudor,
Pallidus ore color, turpes livore genæque,
Naribus & surgit nasus deformis acutis:
Si verò apparent depressaque tempora, & ungues
Curvi inflectuntur, crines labuntur, & alvus
Laxa fluit; paucis mors imminet atra diebus:
Jam medicas adhibere manus, herbasque valentes
Suadebo, & primi mala semina tollere morbi.
Utilis hìc Bellis major decocta Falerno
Integra, & Alsines succus, Pervinca recenti
Lacte infusa diu, folio Calamintha rotundo,
Dicta Chamæcissos, croceoque & Farfara flore,
(Bechion hanc meliùs Graio cognomine dicunt
Nonnulli, à tussi nomen tribuere Latini)
Et Myosotis humi repens hirsuta, Crocusque
Luteus, hunc spicam vates dixere Cilissam,
Huic nudi erumpunt autumni sidere flores;
Betula quos latices, quæ primo saucia vere,
Effundit, melle admisti juvere, & amara
Helenii radix, cui mutavere saporem
Sacchara, quæ felix & Ganges mittit & Indus
Plurima; Arundo tulit, tenues cui caulis in auras
Emicat octo pedes, nodosi more equiseti
Genva notant, angusta, & longa, alataque utrinque
Emergunt è quoque genu folia, atque in acutum
Mucronem tenuata, placet radixque sapore,
In summo quæ nata solo, dulcique medullæ,
Quam tenet inclusam caulis, vix cesserit; indè
Crebra venit proles, sed ne dispendia succi

Sentiat

Sentiat erepti ſterilis ſtirps, falce recurvâ
Tollitur, atque aliis donat plantaria terris.
Juvit & Hedypnois dentes imitata leonis,
Et Glycyrhiza potens, contuſaque ſemina Lini,
Plantago, irriguos & amantia Symphyta rivos,
Virgilii mollis radix epota & Acanthi,
Spinæ albæ radix multâ lanugine tectæ;
Quique fluunt latices ex Oriciâ Terebintho,
Et Lauri baccæ, cum melle & nectare miſtæ,
Ambroſiæ: graciles tolluntur in aëra caules
Seſquipedem, plura in diviſi brachia, quercûs
Æmula ſunt folia, hinc nomen poſuere Britannæ
Matronæ, ſaturo folii pars prona virore
Hirta micat, rubrum ducitque ſupina colorem
Dilutè, ramos inter denſiſſima florum
Congeries, nondum vitis ſatìs æmula apertis
Floribus, exigua eſt radix, fibrata; peritque,
Cùm ventura alium diſperſit ſemina in annum;
Naſcitur Hiſpanis, Italiſque frequenter in oris.
Candidus Helleborus prodeſt, atque Hordea cocta,
Matthiolique Botrys, ſiccis quæ gaudet arenis,
Scrupoſoque ſolo, Calabris non hoſpes in arvis;
Pinguibus & guttis apices Ros ſolis onuſtus,
Piſtaciæque nuces, Pini conique recentes
Incocti Baccho, radix quam mittit odora
Orchis, Veronicæ latices quos exprimit ignis,
Et Chærophylli radix, & tubera Veſci
Geranii in vino, nivei floreſque Gnaphali,
Pulmonum & clauſos reſerant quæcunque meatus.

PLEURITIS.

HUjus acerba mali referunt primordia febrim,
Nec longum tempus, laterum dolor ingruit ingens,
Nunc dextrum affectans, nunc lævum & proxima costis,
Nonnunquam dorsumque, humerosque & pectora sævis
Suppliciis urgens; morbo incipiente, quod ore
Egeritur, tenue est, guttis mistumque cruoris,
Pòst ita non multò densatur, & ubere fonte
Sponte fluit, sed adhuc maculatum sanguine cernas,
Tussis anhela premit, venis & missus apertis
Livescit sanguis mucosi glutinis instar.
Juverit hìc Scythicæ radix vetus incola terræ
Dicta Glycyrhiza & magni celebris Theophrasti
Æternis foliis, Linum, Rhæasque Papaver,
Fraxineum semen, florum elicitique liquores
Sylvestris Pruni, segetes atque inter opimas
Hirsuto emergens folio Scabiosa, & amara
Bardanæ radix generoso incocta Lyæo,
Cœruleæ Violæ, pilulis Urtica & onusta
Romana, & niveis interlitus undique venis
Carduus, & flores, quos fert Spina alba, recentes
Infusi vino, hirsutæ latices Aparines,
Atque Chamæmeli flores, & solstitialis
Carduus à stellâ dictus, atque obvia pratis
Barba capri, radix Acori, Petroque-selinum;
Quod colit Æmathios montes, præruptaque saxa,
Sumptum more Theæ Origanum, crescens & opacis
Ilicibus Viscus, folia huic enata virescunt

Dilutè, extremas croceus color ambit at oras,
Atque crucem referunt decuſſati undique rami,
Pellucent albæ converſæ ad lumina baccæ.
Utilis Æthiopis Magicis celeberrima ſacris,
Plurima Dictæâ quæ paſſim naſcitur Idâ,
Aſphodelus, terris gaudens Scorodonia ſiccis,
Quodque opium ſudant Thebana Papavera læſa,
Sphondylii radix, potum quæ cocta Polonis
Sufficit, horrentis flores atque Oxyacanthi
Infuſi vino proſunt, & Scordia, Laſer
In jure, atque Aloes lignum, lateri Sagapenum
Admotum, niveum quod fundit Amygdala lacque
Hauſtum, Rha Ponti, Caryophyllata, Cuminum
Sacculo & inſutum, laterique calens admotum
Cum ſale, & auſtero quæ Salvia rubra in aceto
Intincta eſt, calidis & pòſt impoſta favillis.

PULMONICA.

PULMONUM ductus reſerant, clauſoſque meatus,
Obvia templorum muris, ſaxoque vetuſto
Pontibus extructis, paſſim tibi Salvia vitæ,
Hanc album meliùs veteres dixere Adiantum,
Qui color eſt, rutæ Glaucus reperitur in illo,
Fiſſuræ & folii ſimiles, ſed non odor idem,
Fuſcaque per totum ſparguntur ſemina dorſum ;
Althææ in pinguem radix decocta ſyrupum,
Et folia, & ſemen ; Calamintha, Crocuſque Britannus,
Helenium, atque Ari radix, Scabioſa, Catipes,
Cuique ſuum nomen dedit Artemis Ilithyia,

Oenanthe

Oenanthe in pratis bulbo diſtincta frequenti,
Arboribus creſcens Lichen, Marrubia & alba,
Atque Chamæciſſus, Veronica, Bechion, udo
Pimpinella ſolo gaudens, Peucedana, & album
Verbaſcum, Urticæ ſemen, radix Glycyrhizæ,
Quodque colit lucos maculoſum Symphyton altas,
Puleium & gratos exhalans undique odores,
Erucæ ſuccus, cui Sacchara candida miſta,
Saxifraga & foliis Hederæ terreſtris, & albo
Flore, rubris granis radix barbata & onuſta eſt
Hippuris, caudæ non multùm diſtat equinæ,
Hinc illi docti nomen poſuere Pelaſgi.
Sanicula & dulci melli commiſta, Adiantum
Caule nigro referens ebenum, filicem folioque
Pinnato, veteres Veneris dixere Capillum,
Verbenæque ſacræ ſuccus, folioque rotundo,
Floribus & croceis, quæ centum nota medendis
Morbis planta, frequens humentis & incola terræ,
Juncus odoratus, qui Arabum quàm plurimus oris
Viſitur, hunc Græco Schœnanthon nomine dicunt
Nonnulli, radix haud utilis, optima florum
Natura eſt, queis purpureus color, atque roſarum
Gratus odor, caules rubuere; Ægyptia Sena
Proderit & multùm, celebri, quam condidit, urbe,
Magnus Alexander, noſtras affertur in oras;
Piſtaciæque nuces, Syriis quas finibus arbor
Profert, oriciæ non diſſimilis Terebintho,
Et Viola hortenſis triplici diverſa colore,
Hìc aurum rutilat, hìc purpura lucet, & illìc
Livet, jucundâ diſtractaque imagine mens eſt,

Atque

Atque Pyri mediâ latitantia ſemina parte;
Quoſque minus latices præbet Polypodion igne
Elicitos, Muſæ fructus, quam dives abunde
Cyprus alit, magno regio & contermina Nilo;
Exigua eſt arbor, cubitis non ampliùs illa
Bis tribus exurgit, folia huic ſunt, qualia arundo
Producit, magìs at ſunt longa, obtuſa magiſque,
Latius in ſpatium panduntur, craſſa ſuique
Parte magìs mediâ, crebris diſtinctaque venis,
Sicca manent totis æſtivis menſibus anni,
Autumnoque cadunt, vere & redeunte vireſcunt,
Squameus huic cortex, nec truncum ramus opacat,
Surculus & ſummo tener eſt in vertice, multa
Pullulat hinc proles, perque intervalla feraces
Diſpoſiti caules dulces dant arbore fructus,
His parvi ſpecies cucumis, color æmulus auro
Maturis, Ficûſque cutis tenuis, comedentes
Exuere hanc ſueti, Melonis pulpa, nec illis
Semen ineſt, nucleuſve ullus, ſapor optimus ore,
Guſtatiſque ſemel veſcendi invicta cupido:
Triticeæ hos olim collectos tempore meſſis
Attulit ad matrem Reuben, oracula Moſis
Arcana Hebræo Dudaim cognomine dicunt;
Afflatuſque ſacros Salomon dum pangit amores;
Poma hæc Idaliæ Divæ juſtiſſima cura.
Nec minùs occluſis præbet pulmonibus auras
Pingue tibi Gummi, Malus quod Perſica fundit,
At priùs in leni cures diſſolvere vino;
Serpylli Origanum foliis, pulviſque Sabinæ
Admiſtus lactis flori, contuſaque Lauri

Semina,

Semina, Lac ſonchi, Satureïa, grana Nigellæ,
Conſolidæ radix Majoris, Gnaphaliumque,
Paſſæ uvæ, Hyſſopus redolens, Colocynthis amara,
Cyperi Veſci radices, æmulus illis
Caſtaneæ ſapor eſt, referunt & meſpila mole,
Et facie ſimili, fibris pendentque tenellis
Oenanthes bulbi ut pratenſis, ſemina nulla
Fert ſterilis, floreſque negat, nec caule ſuperbit,
Graminea huic folia in cubitum porrecta, Catulli
Verona hunc gignit celebris natalibus, oræ
Hiſpanæque ferunt; proſunt ferrugine tincti
Et dulci violæ flores, Urſinaque radix,
Meum dicta, juvant radices Elaphoboſci,
Fœniculum, ſuccus radicum Pentaque-Phylli,
Maturæ Ficus, flores & Stœchadis, hauſtus
Tabacique tubo fumus, pulviſque pudici
Parthenii, Oxymeli miſtus, Rhæaſque Papaver,
Atque Periclymeni flores, & Tormentilla,
Hyblæumque Thymum, Serpyllaque Hymettia, Porra,
Roſque rubens ſolis, Scillæ radixque marinæ,
In Venerem impellens Orchis, Malvæque movendo
Ventri aptæ, fulvo quæ Pulmonaria ab auro
Lacte fluens rutilat, foliis & Braſſica criſpis,
Atque Polypodii radix Jovis arbore nati.

PURGANTIA.

EXONERANT fœdas collectas corpore ſordes,
Perque alvum ejiciunt, ſummæ virgulta Geniſtæ,
Et ſemen, Sorbi baccæ ſylveſtris, olentis

Sambuci cutis interior, lenta atque flagella,
Quæque frequens medio trudit ſe cortice gemma,
Atque Aſari folia in renis glomerata figuram,
Conſpicua & fibris radix, latera ardua Juræ
Sponte colit, celſo monti & vicina Muteto,
Æternúmque viret, ſaturati murice flores
Sarrano, hos denſum foliorum tegmen obumbrat,
Naribus & gratos exhalânt undique odores,
Grana acinos uvæ referunt, bis floret in anno,
Cùm furit, & rapidos Cancer vomit æſtifer ignes,
Erigone & miti cœlum cùm temperat aſtro:
Nec minùs his juvere nigris & Frangula baccis
Donata, & Xyridis radix, Tithymallus, & udis
Pinguicula in terris nuſquam non obvia, ſcandens
Solanum, atque Ebuli ſemen, ſuccuſque, cutiſque,
Necdum maturæ, queis ſacchara candida miſta,
Juglandes, & amica jugis ſylveſtria Lina,
Atque ſolo ſterili, Digitalis, & Eſula, Kali
Neptuno charum, & fluctu pulſata marino
Soldanella, augens lac fœtis Polygalonque,
Hinc illi docti nomen fecere Pelaſgi,
Flos modò cœruleus, modò candens, concolor oſtro
Nunc rubet, & vario ludens natura colore
Inficit, atque oculos picturâ paſcit amœnâ:
Euonymuſque juvat ſcriptis celebris Theophraſti,
Se quantùm malus Granata attollit in auras,
Erigit illa caput tantùm, nec mole ſuperbit,
Non folium abſimile eſt, autumno germina primo
Trudit, & albentes verno cum ſydere flores,
Succedunt violæ in ſpeciem, baccæque rubentes

Pileolum referunt, quem docti ferre Lycæi
Gens ſtudiis operata ſolet, ſacriſque ſacerdos.
Oxyacantha juvat, ſpinis quæ horreſcit acutis,
Illius in tenui cortex mediana Falerno
Si fuerit madefacta diu, dilecta Avicennæ
Herba Eupatorium, Cuſcutæ & tenvia fila,
Quæ ſibi non fidens, variis ſeſe implicat herbis,
Arbuſtiſque audax, alieno robore fulta,
Nulla illi in terram radix depangitur, illi
Nec folia, æſtivis poſſunt quæ arcere calores,
Tantùm horum longi vice ſunt rufique capilli,
Capreolos vitis referunt qui, & munia præſtant,
Flores conferti, qualeſque volubilis albi,
Purpurei tractus perque intervalla relucent,
It ſtylus in fructum, qui turgidus, atque trigonus,
Fuſca intus parvis cernas latitantia cellis
Semina, quæ nullos medicos adhibentur in uſus;
Laureolam hìc laudant aliqui malè, fervida naſum
Urat, & ardentes ſpargat per viſcera flammas,
Nulli auſus fuero tantum ſuadere periclum,
Tutius hâc multò minus eſt Phu, pondere drachmæ
Si ſicca in vino radix contuſa bibatur,
Tutior & Rhamni purgantis bacca, Thalictri
Et folia, & radix croceo circundata amictu;
Profuerint rubra & Salomonis grana ſigilli,
Inviſum Muſis nomen Polypodion, altis
Quercubus innaſcens, Iriſque domeſtica, Crithmum
Littus amans pelagi, nigræ flores violæque,
Et radix, pulviſque hauſtus, mas Mercurialis,
Atque albæ Vitis radix, & ſumma flagella,

Baccæque,

Baccæque, & ſemen, quæ dicta Bryonia nigra,
Atque Myrobalanus, quæ dicitur Inda, ferentis
Arboris exigua eſt moles, ſalicique tenella
Sunt folia huic, Bengal, Malabar, Cambayaque mittunt.
Moſchatæ & juvere roſæ, Chamelæa tricoccos,
Abietis & lacrymæ, lectæque ex Ilice baccæ
Sanguineæ, Laricis fungus, ſub tempora meſſis,
Qui fluit è Mori ſuccus radice, rubentes
Mezerei baccæ; binos huic truncus in auras
Exiguus ſurgit cubitos, ramique ſequaces,
In quamcunque velis partem, flectuntur, acuto
Cedentes facilè & ferro, ſunt longa liguſtri
Et folia, aſt pallent, magè pinguia craſſaque, flores
Purpureique priùs veniunt, quàm frondis amictus,
Agmine conferti denſo, pergrati & odoris,
Prædura eſt radix, ſylvæ peperere Polonæ.
Profuit & foliis obtuſis Itala Sena,
Atque cyclamini ſuccus ventri illitus, herba
Cancri, Heliotropium meliùs dixere Pelaſgi,
Gratiolæ, atque Aloes ſuccus concretus amaræ,
Peucedani latices, Aconitaque amica ſaluti,
Pſyllia pulicibus lethumque ferentia, Turbith
Cambayæ, pulpa & quam Caſſia fiſtula præbet,
Radicum pulvis, queis fulta eſt Primula veris,
In vino epotus, Colocynthis amara, fluenſque
Fraxineis Manna è ramis, Scammonia in oris
Aſſyriis naſcens; croceo & Centaurea flore;
Livida ſunt folia his, plumbique infecta colore,
Quæ caules avido amplexu preſſere, in acutum
Mucronem tenuata; elatis collibus illa

Sponte

Sponte ſuâ veniunt, proſunt floreſque ſyrupum
Perſicæ in humentem mali decocti, aſinini
Et Cucumis ſuccus, radix & Mechoacannæ;
Eſt albæ vitis radix, quæ læta frequentes
Emittit caules, qui proxima quæque tenaci
Amplexu invadunt, propriis non viribus auſi
Fidere, ſunt folia & teneras lædentia dextras
Aſpera tangentûm, ſaturoque imbuta virore,
Quæ linguam vellunt guſtata, eſt formaque, Tami
Quæ foliis, flores ſunt quales pomus amoris
Flaventes peperit, parvæ ſtylus exit ab illis
Mole nucis, binas in partes ſeparat æquas
Membrana & tenuis, nigrantia ſemina cellâ
Quæque duo includit ſplendentia, piſaque mole
Æquant; India alit. confert Fumaria, ſemen
Lychnidis agreſtis, repenſque Cucurbita, ſuccus
Lactucæ in campis creſcentis lacteus, inter
Et ſegetes naſcens Thlaſpi, radix croceique
Narciſſi, Ricini ſemen, potata Peponis
Vina cavâ quæ ſunt è cortice, Clematis urens.
Æmula pervincæ folia huic, cauleſque ſupini
Arbuſta implexu ſuperant, candore nivali
Stellati flores, gratas qui naribus auras
Exhalant, multâ eſt radix fœcundaque prole,
Hinc longè latéque fluit ſub viſcera terræ
Occultas rimata vias; ſaxa aſpera gignunt
Monſpelio vicina: juvant pinguiſque ſyrupus
Hyſſopi, Clymeni ſemen, lacrymæ Ferulæque,
Aſcyron Hydromeli miſtum, nigra grana rubentis
Atque Androſæmi, Balanuſque Myrepſica; glans eſt

Arboris ignotæ, quæ non aliena myricæ;
Æquat mole nucem, pretiosum pressa & olivum,
Quod latè gratum dispergit in aëra odorem,
Effundit; sævoque placent Euphorbia succo,
Tabaci & latices, & Pseudo-semina-sparti,
Capparidis cutis interior, madefacta in aceto,
Vel dulci oxymeli, foliis Chondrillaque cornu
Cervini hirsutis; sunt parvi in vertice flores
Cœrulei summo, niveo caulisque tumescit
Lacte, teres simili radix est fœta liquore.
Profuit & Tripolî radix, quæ salsa, marini,
Epota in vino, siccæ fœcesque Falerni
In crustæ morem duræ, Rha, pruna Damasci,
Pruna Sebestena, & Gamboidia, sitque colore
Vergenti ex croceo in rubrum, expers & arenæ,
Concipiatque ignem citò quæ si admota lucernæ;
Contulit atque Ari radix, radixque Dracontî
Flammifera in linguam vibrantis spicula, flavus
Carthamus, Opopanax, acidi fructus Tamarindi,
Atque Sagapenum, Thymelæa ignitaque; lini
Sunt folia huic, summo candent in vertice flores,
Quæ primùm virides baccæ, traxere colorem
Maturæ rubrum; albescit sub pelle nigranti
Extractus nucleus, faucesque exulcerat æstu
Gustantis, ligno contendat duraque radix;
Arva inculta ferunt, rupes, præruptaque saxa;
Ver agit æternum, nec læsas frigore frondes
Deponit, brumæ patiens, boreæque nivalis.
Nec minùs his juvere Absinthia tristia, radix
Et cava, suavè & olet quæ Moschatella, zibethi

Æmula; Barucæ Guyanæ ex arboris altis
(Hura vocant Caribes humano ſanguine paſti)
Collectæ ramis, nucibus ſibi pluribus arctè
Conjunctis conſtant, hiſcentia tegmina partes
In binas nucleum excludunt, cui forma rotunda,
Hunc tenuis membrana tegit, cinerum color illi.
Purgat & Araræ nucleus niger, atque Hachal Indi
Quam plantam dixere, ægro ſi pondere drachmæ
Sumatur radix, & Sanamunda, Cneorum,
Huicque Chamælææ folia, aſt breviora, magiſque
Craſſa, minora, croco flos concolor, atra nigreſcit
Bacca Thymelææ, craſſa eſt, præduraque radix;
Granada hanc paſſim tulit, atque Valentia Ibera.
Non illud diſpar foliis, in vertice plures
Purpurei veniunt flores fragrantis odoris,
Sed capiti infenſi, albentem duxere colorem
Baccæ maturæ, quæ includunt grana rotunda,
Pellis & hæc operit, cineri quæ concolor, illi
Longa venit radix, digitumque eſt craſſa minorem,
Nunc nigret, & fulvo rutilat nunc tincta colore;
Hoc pariunt magnæ juga quæ vicina Viennæ.
Solverit & ventrem, quem fœmina dat Mamoera,
Fructûs pulpa, croco quæ concolor, altus in auras
Tres ulnas ſurgit truncus, pedibuſque duobus
Æqua eſt craſſities, foliorum formæ acerique
Majori accedit, longis & caulibus illa
Hærent fixa, venit qualiſque cucurbita fructus
Exigua, & parvum natura effingit in orbem
Arboris in ſummo glomeratum; ſemina piſis
Æmulaque includit nigro ſaturata colore,

Quæque ebeni ſplendent inſtar, Lyciive gagatis,
Arbor flore caret: non multum diſtat ab illâ
Maſcula, candidulos ferret ni in vertice flores,
Qui in terram vergunt, congeſtique agmine denſo
Sambuci ſimulant flores, adhibentur in uſus
Hi ſteriles nullos, natura eſt æmula palmæ,
Fœmina, namque maris placidis ſi amplexibus arces,
Infœcunda negat dulces ex arbore fœtus;
Quà ſinus Americum ſanctorum nomine dictus,
In mare procurrit, ſolis reperitur in oris.

RACHITIS.

VIS infeſta mali hæc noſtris ſat nota Britannis,
Europæ latis aliàs vix ſævit in oris:
Exercet crudele odium non illa in adultos
Improba, at infantes, atque incunabula prima.
Aggreditur, teneræ turbans nova gaudia matris,
Dum ſtupet informem fœtum, diſtortaque membra.
Morbi hujus manifeſta fides, cùm ſerpit in artus
Torpor iners molles, juſtâ nec lance alimenta
Quamque fovent partem malè diſpenſata, caputque
Jam tumet inſolitum, plenoque refulſerit orbe
Oris honos, tabent capiti vicina, caroque
Flacceſcit ſenſim, nodis & tubera crebris
Exurgunt, quà per communia vincula nexa
Oſſa ſibi coeunt, carpi, articulique laborant
Atque humeri, & femoris, crura inflectuntur, & ulna,
Difficilè emergunt dentes, magnoque dolore,
Obſcurus color eſt illis, vix ſedibus hærent

Nutantes, pectus ſpatium anguſtatur in arctum,
Quà latera incumbunt, media atque altiſſima pars eſt;
Surgit & abdomen tumidum, diſtentaque latè
Surgunt inſolito convulſa hypochondria motu;
Inſequitur tuſſiſque frequens, & pulmo gravatur.
Proſunt hìc baccæ, quas fert Glycypicron, in albo
Infuſæ vino, Rheno vicina bicorni
Quod fœcunda tulit tellus, Hederæque virenti
Detractus cortex, foliis Phyllitis abundans,
Rutaque murorum, ſummæ virgulta Myricæ,
Pingui quæ libro ſudant electra; cupreſſi
Huic facies, natale ſolum Nilotica tellus.
Fraxineuſque juvat cortex, Oſmunda paludes
Regia amans, oculo arridens Veneriſque Capillus,
Rha fluvio, & Scythico debens ſua nomina Ponto
Radix, Phu magnum, Cuſcutæ & ſtamina ruſæ,
Atque olim Scythicæ radix bene cognita terræ,
Nunc etiam noſtris multùm non hoſpes in oris,
Quod Jovis arbor alit crebrâ Polypodion alâ,
Pavame Indorum, regio quam Florida abunde
Nutrit, & apta malo; ſparſis radicibus illa
Vix terram ingreditur, ſummo contenta ſoloque eſt,
Creſcit in obliquum truncus, nec ramus ab æſtu
Defendit, pingui facieſque ſimillima pino,
Atque eadem moles, folia huic ficulnea, pronâ
Parte virent, glauco eſt infecta ſupina colore,
Et crocei rutilant, qui tenvia ſtamina, flores,
Confertæque nigrent baccæ: tota arbor aniſum
Spirat, odoratas exhalans naribus auras.
Apta juvant jecoris, ſpleniſque aperire canales.

RHEUMATISMUS.

PLERUMQUE autumno labes hæc ſidere ſævit,
Præcipuè invadens juvenes ſudore madentes,
Quos curſu, luſuve, afflavit frigidus aer.
Illius eſt manifeſta fides, cùm ſerpit in artus
Concutiens horror tremulos, nec tempore longo
Pòſt calor inſequitur vehemens, ſitis urget, & ægro
Nulla quies ſperanda, dolor carpos, humeroſque,
Genvaque ſollicitat, nunc lumbos occupat, oſque,
Quod medici dixere Sacrum, reneſque cavoſque
Urinæ ductus, tandemque abeunte rubeſcit
Pars, quæ affecta fuit; qui venis miſſus apertis,
Liveſcit ſanguis mucoſi glutinis inſtar.
Profuit Hypericum, vini vigor æthereus cui
Commiſtus fuerit, Rhamnuſque Catharticus, albis
Carduus & venis paſſim diſtinctus, odorum
Atque Chamæmelum, quæ balnea Salvia præbet,
Fraxineus cortex, ſemenque Papaveris albi,
Et Cucumis ſemen, Solani lenta flagella
Infuſa in Baccho, Ruſcus, Glycyrhiza, Corinthus
Quaſque uvas mittit, creſcens tumulis in apricis
Origanum, Oxalidis radix, & Zinziber, Alni
Et folia ægroto quæ ſunt ſubſtrata, Sinapi,
Pinguia laſcivæ cui ſtercora miſta columbæ,
Quos latices fundunt Leucoïa lutea, dulcis
Fœniculi ſemen, triſtis ſucci Tanaceti
Ætherei, radix Hydrolapathique, rubenſque
Dactylus ex croceo, Melilotus, ſemen Aniſi,

Rha Ponti, buxi folia & contuſa, Apiúmque,
Hepatica, atque cutis Sambuci incocta Lyæo,
Atque Polypodium quod Chaonis arbore natum,
Cecropiumque Thymum, bene olentis ſemen Anethi,
Hordea cocta, nuces quas præbet Amygdala dulcis,
Et teneris multùm Serpilla placentia capris.

SANGUINEM PURGANTIA.

SANGUINIS infectos latices Fumaria purgat,
Si commiſta ſero potetur vere recenti
Sæpius; Urticæ contuſaque ſumma flagella
Urentis, viridi lacrymæ quas exprimit ignis
Bugloſſo, atque acri Naſturtia ſana ſapore,
Smyrnia littoreis naſcentia cautibus; illis
Plurima ramorum ſeges eſt, folia amplaque prona
In terram, ſciſſas & crebra lacinia partes
Ornat, odoratæ ſpirant opobalſama frondes,
Gratus in ore ſapor, color eſt ſufflavus, anethi
Umbellæ in ſummo, Crambes & ſemina nigra,
Quæ myrrhæ ſuaves exæquant æmula odores,
Suavè olet & radix acris, pars obvia viſu
Avulſæ nigret, pars quæ non viſa vireſcit.
Juverit & folio coriandri formâ Adiantum,
Naſcitur hoc ſcopulis humentibus, aut ubi rauca
Lapſa in ſubjectos immurmurat unda lapillos,
Hoc & alunt putei defoſſi in viſcera terræ,
Ubertimque Italis, Gallis & naſcitur oris,
Præcipuè, lato quà Narbo Martia tractu
Panditur, atque vagus Varus diſcriminat Alpes.

Utilis

Utilis expreſſa è ſiliquis Caſiæque medulla
Purgantis, regio quam fert, quæ proxima Memphi,
Urbi & Alexandri magni de nomine dictæ,
Naſcitur Americis & copia plurima terris;
Juglandem referunt truncus, ramique feraces,
Et cinerum cortex palleſcit tincta colore,
Nigraque in obliquum radix tellure repoſta
Creſcit, diſtortis diſcurrens undique fibris,
Exterior ligni facies flaveſcit, at illa,
Quæ latitat, cultro nondum violata, nigranti
Non ebeno abſimilis, dextrâque polita periti
Artificis lucet ſimili ſplendore coruſca,
E ramis folia emergunt, quæ lævia, craſſa
Et ſatìs, ad tactum tractanti mollia cedunt,
Æmula fraxineis ſpecie, mucroneque acuto,
Quæque ſibi ſpatium paria extenduntur in unùm,
E mediis foliorum alis flos plurimus exit
Aureus, auricomis deſcendit & uva racemis;
Tenvia crebra ſtylum circundant ſtamina, qui, cùm
Flos perit, in teretem ſiliquam mutatur, adultis
Æthiopum color eſt, tenuis cutis intima veſtit,
Quæ modò candeſcit, modò fulvo eſt concolor auro,
Diditur in varias cellas, vel vaſcula pulpâ
Fœta nigrâ, mellis ſimilis ſapor, at magìs acer,
Et magìs ingratus, fibras ſtomachique movere
Aptior, in propriâ ſplendentia ſemina ſede
Quæque ſuâ cernas; fulvi ſunt illa coloris,
Compreſſa, ad tactum tractanti dura reſiſtunt,
Quaſſatis ſiliquis, ſi ſemina nulla ſonorem
Dent, Caſia hæc medicos ſolùm ſervetur in uſus.

Diſtentas

Diſtentas implent dulci quoque ſanguine venas
Zizipha, quæ Tropiæ Calabris in finibus arbor
Obvia laſſatis producit plurima ramis
Pondere, huic cortex vitis rugoſa, profunda
Pangitur in terram radix, armantur acutis
Et ſpinis frondes, triplici diſtinctaque nervo
Sunt folia, & flores viridi velantur amictu,
Vel croceo, fructûs facies accedit olivæ,
Vel quernæ glandi, brevis eſt illi & pedicellus
Tegmine diſrupto, oſſiculi duo ſemina cernas.
Oxalis & prodeſt, Lapathi radix & acuti,
Et folia, & rubro niveoque Ribeſia fructu,
Portulaca cibis commiſta, Oxyſque triphylla,
Oxymelique Thymi pulvis dilutus, amarus
Et Lupulus flore è ſquamis compoſto, & amico
Amplexu vicina petens arbuſta Galeni:
Oxyacantha rubris baccis, Veronica repens,
Carduus æſtiferi natus ſub ſidere cancri.

SCORBUTUS.

NON dubiis morbum hunc poteris cognoſcere ſignis,
Corpus torpet iners, laſſantur membra, nec ulla
Cauſa ſubeſt, motos quatit æger anhelitus artus,
Gingivas putres caries eſt, & gravis oris
Fœtet odor, denteſque ſuis vix ſedibus hærent,
Ægre æger lento figit veſtigia greſſu,
Egeriturque frequens ſanguis de naribus, atræ
Crura notant maculæ, quæ ſæpe inflata tumeſcunt,
Sæpe & ſubſidens ſeſe tumor iſte remittit,

Palleſcens facies croceo eſt infecta colore:
Hic morbus doctis ſcelotyrbe eſt dicta Pelaſgis.
Sanguis prima mali labes malè coctus, & acres
Particulæ ſalis, occultæque in corpore fæces
Purpurei curſum laticis venis remorantes,
Sulphuris & moles concretæ, hypochondria ab æſtu
Torrida fermenti nimio, pituitaque fœda.
Primo vere malo ſolers incumbe domando,
Vere magìs, quia vere novus ſanguis, vigor herbis
Et novus, induitur lætam & reparata juventam
Terra parens, viridi felix circumdata prole.
Hæ tibi de tantis herbis ſerventur in uſus
Præcipuæ medicos, Anagallis aquatica, Sorbus
Sylveſtris, duris hærentia Mora rubetis,
Atque Aceris læſi lacrymæ de cortice fuſæ
Ubertim, mordentis Ari ſiccataque radix,
Betula quos reddit latices, cui vulnera ferro
Sunt data, & irriguos Naſturtia amantia fontes,
Abietis & rami deciſi ex arbore vino
Infuſi, Raphanus, Lapathi radix & acuti,
Et Rubus Idæus, dicta & Vaccinia Nubis,
Naſcuntur ſummo Pendlæi in vertice montis,
Elatiſque jugis, dare nomina idonea Muſa
Queis neſcit Romana, rubi genus eſſe Gerardus
Autumat à ſpinis vacuum, ruſæ tenueſque
Radices penetrant non altè in viſcera terræ,
Sed latè in ſummâ repunt tellure, apiceſque
Hinc illinc veniunt fibrati, his fortiùs hærent
Muſcoſis tumulis, hinc caulis lentus in auras
Seſquipedem ſurgit, terræ quæ proxima pars eſt,

Dilutè

Dilutè rubet, obſcuro ſunt tincta colore
Huic folia, nullo naſcuntur & ordine, bina,
Nunc tria ſunt numero, crenatus & undique limbus,
Criſpa rigent leviter, (ſummâ quod parte locatur,
Vix ſeſe expandit;) crebris ſunt fœtaque nervis,
Altiùs impreſſæ in bis duo ſegmina plagæ
Diſcindunt, ſummo flos eſt in culmine caulis
Unicus, è quinis petalis qui conſtat, amictus
Eſt niveus, media & flaveſcunt ſtamina, lapſo
Flore venit fructus, granis qui pluribus auctus
More rubi, primumque viret, pòſt concolor auro eſt,
Pars Phœbi ardentis radiis obverſa rubeſcit.
Cruda juvant Rapa, & Centaurea triſtia, Piſa,
Dum virides ſiliquæ, Chelidonia nuncia veris,
Dicta minor, fumo & debens Fumaria nomen,
Dumetiſque frequens Scorodonia, Scordia & udo
Nata ſolo, Oxalidis folia, & Cochlearia Anonis
Peſtis aratorum, muris hærens Adiantum,
Atque Hydrolapathum, teneri Lupulique flagella,
Atque incocta novo quæ eſt Centimorbia lacti,
Lepidium latis foliis, referenſque ſapore
Rugoſum piper, & mordentis grana Sinapi,
Barbarea aggeribus gaudens, ubi amœna fluenta
Prætereuntis aquæ raucum per lævia murmur
Saxa cient; foliiſque fabæ candens Menianthes;
Affectat terras planta hæc ſpecioſa paluſtres.
Juverit & crebrâ quernum Polypodion alâ,
Littoribus naſcens & Soldanella marinis;
Caulibus huic parva erumpunt folia atque rotunda
Purpureis, terræ incumbunt, convolvuli & illi

Sunt flores, rubris ardentes tractibus, atra
Semina sunt siliquâ polygona inclusa rotundâ,
Est tenuis radix, succus candens, & amarus.
Profuerint folia & Viburni, parva statura
Arboris est humilis, vestitur cortice truncus
Subfuscâ, facilè & rami inflectuntur amaræ
Lenti instar salicis, incurvatique tenorem
Illæsi accipiunt solitum, cùm dextra prementis
Absfuerit, subitus saltus statuique priori
Restituit recto, folia his sunt crassa, manuque
Aspera tangentis, molli & lanugine cana,
Cùm tenera, atque oras leviter crenata, senectus
Cùm sæva invasit, rubrum traxere colorem
Mutata, albentes veniunt denso agmine flores,
Cùm sitit omnis ager, cùm lux altissima cancro est,
Succedunt baccæ pisis non impare mole
Compressæ, primùm natæ viruere, rubescunt
Pòst, ætas nigrum inducit matura colorem,
Prole ferax radix in summâ repit arenâ;
Sunt natale solum sepes, atque invia saxa,
Et sylvæ, lucique horrenda silentia sacri,
Quà steriles operit malè pinguis glarea terras.

SCROPHULÆ.

FONS & origo mali congesti glandibus udis
Impuri succi, fæcesque, hinc gutture crebra
Ulcera rumpuntur, tabo & vicina madescunt
Immundo: hæc siccant manantia vulnera, sordes
Ejiciuntque foras; Marrubia candida, Anethi

Semina, Bardanæ radix, Agrimonia, dulcis
Granaque Fœniculi, croceo Chelidonia ſucco,
Tormentilla recens, glauci radix Cynogloſſi,
Plantago, majuſque Sedum, ſemen Coriandri,
Bellidis & minimæ radix, divoque Jacobo
Herba ſacra, & rutæ folio Paronychia, muris
Ruderibuſque frequens, Scabioſa hirſuta, Chamædrys,
Geranium, Xyridis radix, Succiſa, Aparine,
Erucæ ſemen, cortex Juglandis, acuti
Et Lapathi radix, Mali ſylveſtria poma,
Atque virens Apium, niveo Lamiumque colore,
Et croceo rutilans Veronica fœmina flore,
Clematis & pulchræ debens ſua nomina Daphne,
Urticæ & folio Galeopſis fœtida, trita
Et folia & flores Digitalis, Perfoliata,
Sunt folia huic lævem circumcingentia caulem
Cæſia, & à centro diſcurrunt undique venæ
Ad limbum ductæ, radix barbataque, ſummo
Conferti crocei cernuntur vertice flores,
Semina ſuccedunt nigro ſaturata colore;
Naſcitur hæc ſegetes interque nitentia culta,
Quà Stockelda domus ſtat Wharfi ad fluminis undas,
Antiquam jactans ſtirpem, proavos & avorum,
Non aliis unquam memini me cernere terris.
Nec minùs hìc prodeſt prati Regina comanti
Conſpicua umbellâ, foliis & Ruſcus acutis,
Idaliæ ſimilis myrto, Loliique farina,
Sulphuris admiſtus fuerit cui flos, & acetum,
Oenanthe & bulbis notiſſima pluribus, acris
Illitus & Menthæ ſuccus, Ficaria major

Udo nata ſolo, cubito vix altior illi
Erigitur caulis quadrangulus, (obvia paſſim
Herba eſt quærenti) folia huic fuſcumque vireſcunt
Serrata, in ſummo veſtiti murice flores,
Caſſidis in morem facti, ſunt ſemina clauſa
Exiguis globulis nigrantia, pulveris inſtar
Nitrati, ſonitu magno qui accenſus, & urbes,
Mœniaque impellit vaſtâ concuſſa ruinâ;
Tuberibus turget radix, nodoſaque crebris
Glandibus in terram ingreditur, color albus & olli.
Juverit & Tami ſuccus, cui partibus æquis
Miſcentur vini latices, & dulcia mella,
Et Pneumonanthes pulvis conſperſus amaræ,
Et Paphiæ dilecta Deæ Cotyledon, amica
Templorum, muris ſaxo quæ ſtructa vetuſto;
Admiſtus melli pulvis florumque Geniſtæ,
Heſperis allium olens ſiccata, atque aſpera Smilax,
Naſcitur hæc Italis, Gallis & plurima terris;
Huic hederæ folium, ſpinis horreſcit acutis
Dorſum, tangentum dextras ſarmentaque lædunt
More rubi, propriis diffidens viribus hæret
Arboris auxilio ſociæ, ſeque implicat audax,
Maturus fructus Sarrano eſt concolor oſtro,
Acris in ore ſapor, parva eſt, præduraque radix.
Proderit & lignum Guaiaci, & Sarſaparilla,
Iridis & radix, quæ lutea dicta paluſtris,
Igne excocta priùs, partique admota dolenti;
Et Pini lacrymæ, fuerit queis miſta tenelli
Urina infantis, & quod dant Hordea pollen
Inter ſaxa duo in partes conciſa minutas,

Capſica quæ melli ſunt miſta, farina Lupini,
Cum ſale Bupleuri folia & contuſa Lyæo,
Et Gummi ſtyracis, Chinæ decoctaque radix,
Illecebra atque acris, verus Veneriſque Capillus,
Veris quos fundit flores madidos in aceto
Primula, Porcini ſuccus paniſque, Meliſſa
Cum ſale miſta, juvat Laſeris contuſaque radix,
Et Tribulus lacubus gaudens terrâque paluſtri,
Purpureo ſplendens Anagallis maſcula flore,
Et Ficûs folia, & Ficaria lutea, caules
Æquavere pedes plus quinos, qui polygoni,
Sunt folia huic foliis galeopſidis æmula, & horum
Ex alis veniunt flores, qui concavi, & inſtar
Utriculi inflati, nunc ſex, nunc quinque, foramen
Atque hiat in ſummo, tria ſtamina & hinc oriuntur,
Dilutè croceo vulgò velantur amictu,
Semina ſunt nigra, albeſcit præduraque radix,
Pannonicum Cluſius Lamium vocat, illa Britannis
Quamvìs ſpontè oris veniatque in pinguibus hortis.
Verùm ea ſi fuerit ſævi violentia morbi,
Herbis ut nolit, nec cedere Apollinis arti,
Munere Cœlicolûm ſolis hìc regibus Anglis
Admotâ ſanâſſe manu conceditur, auro
Ad collum appenſo, precibus ritè antè peractis;
Hæc una eſt medicina mali, nec futilis ullum
Eluſit tactus, vel ſpe lactavit inani
Sacra manus regis, ſceptris qui acceſſit avitis
Jure, nec invaſit regnum popularibus auris.

SINGULTUS.

SINGULTUS.

NON de ſingultu innocuo, vacuoque pericli
Hìc agitur, nimio ſtomachum cùm pondere onuſtum
Vina, epulæque premunt, namque hic ſe ſponte remittit
Temporis exigui ſpatio; ſolum ille timendus,
Motibus inſolitis convulſum eſt cùm diaphragma:
Tranſverſum medici ſeptum dixere Latini;
It comes & febris, vel fluxio ſanguinis, & cùm
Viſcera torrentur, violento exuberat æſtu
Et jecur, inſuetis collectis corpore flammis.
Utilis hìc Daucus, triſtique Abſinthia ſucco,
Et Siſeris dulcis radix, Rhæaſque Papaver,
Peucedanum majus, Latiis non hoſpes in oris,
Pæoniæ bulbi, benè olentis copia Anethi,
Et Roſa quæ nobis celebri eſt advecta Damaſco,
Cinnama, Menthæ oleum, Crocus; acri ſpongia aceto
Plena, cuï piper admiſtum mordenſque ſinapi,
Ad ſtomachum admota; Thymum, Satureia, & Aniſum,
Atque Cyclamini radix, Aſplenia in albo
Hauſta mero, Helvetii redolentia ſemina Cari,
Grana Periclymeni, Mentaſtraque miſta placenti
Punicei ſucco mali, Serpyllaque læta,
Rha Ponti, folia huic petaſitæ lata, rotunda,
Impenſéque virent, acidi ſunt illa ſaporis
Guſtata, in ſeptem partes nervique rubentes
Diſtinxere, fluunt variæ atque in corpore venæ,
Crebra canalicula & caulem ſecat, altus in auras
Purpureus cubitos ſurgit duo, vertice ſummo

Parvi albent flores, ſenis conſtant petaliſque
Expanſi in plumæ morem, Regina comanti
Pratorum tali ornatu formoſa ſuperbit ;
Semina ſuccedunt lapſis, quæ fuſca, trigona,
Inſtructa atque alâ triplici, fœcundaque radix
Aurea ſe latè ſpargit per viſcera terræ ;
Thrax alit hoc Rhodope anguſtâ & Boſphorus undâ.

SPLENETICA.

QUEIS hypochondriaco langueſcunt corpora morbo,
Cauſa mali ſtagnans ſanguis, & fæcibus atris
Implicitus, flatus crebri, crebrique vapores
Delati ad cerebrum, fermentaque prava, canales
Succorum obſtructi, tumidum dum ſæva lienem
Atra premit bilis, vel dum ſævit ſcelotyrbe ;
Affecta hinc torpent vitalia munia, pronus
Ad vomitum ſtomachus, dorſum dolor opprimit ingens,
Cruraque ſæpe tument, veſcendi nulla cupido,
Sæpius inſolito trepidant præcordia motu,
Nec dentes impune abeunt, fluxus quoque ventris
Nonnunquam inſequitur, variorum forma malorum
Nunc & adeſt, ſpecie & medicos eludit inani
Proteus hic morbus, riſu nunc ilia crebro
Ægro rumpuntur, lacrymis nunc ora madeſcunt
Ubertim fuſis, alternaque gaudia, & illi
Alterni redeunt luctus, abeuntque viciſſim ;
Multa ſaliva ore egeritur, quis diceret unctum
Argenti ſpumis. proſunt Scolopendria, proſunt
Fraxineum ſemen, cortexque, & ligna, Geniſta,

Socratis & letho infamis virosa Cicuta,
Quod Jovis arbor alit multis Polypodion alis,
In Veneris flammas & agens tauros Orobanche;
Nascitur hæc inter densas non rara genistas,
Huic caulis simplex molli lanugine tectus,
Pinguis, & asparago similis, vix & pede surgit
Altior hæc medio, galeati atque undique flores
Circumfunduntur, candescens est color illis
Dilutè, crebrâ radix bulbosaque squamâ
Coni instar pini, vix tenvia semina cernas.
Profuerint Rutæ latices, Absinthia, nomen
Queis & Roma dedit, Centaurea tristia, Tami
Radix, & cortex, quam præbent aurea Mala
Hesperidum vigili quondam data cura draconi,
Angelicæ radix, udis atque Enula campis
Obvia quærenti, candentia Prassia, Anisum,
Dulce & Fœniculum, siccati pulvis & Ari,
Et Pneumonanthe, Syrii semen Coriandri,
Zinziberis radix Indo quæ nata sub axe,
Angelicæ foliis Astrantia odora, Chamædrys,
Et Caryophylla in pinguem decocta syrupum,
Atque infusa mero fragrantia Cinnama Ibero;
Arbor alens Indis crescit quàm plurima terris,
Crassa satìs radix, crebris distinctaque crenis,
Pluribus est fibris donata, cutisque rubescens
Dulce olet, it truncus densis & in aëra ramis
Altus triginta pedibus, cutis extima spissa est,
Prima viret, rubro pòst est infecta colore,
Vix illi sapor est ullus, sub tegmine at illo
Interior latitat cortex, quæ prædita odore

Insigni,

Insigni, gustata diu vellitque palatum,
Ordineque alterno crescunt folia æmula lauro,
Vel malo Assyrio, quæ pulchre lævia lucent,
Et dulci nares mulcent bene olentia odore,
Candidi in umbellis flores in vertice summo
Sex petalis constant, media inter stamina surgens
It stylus in baccam, quæ non ita distat olivæ,
Quæque viret primùm, pòst est livore notata,
Atque albis maculis, pulpa acri imbuta sapore est,
Inclusus tenui nucleus sub tegmine acescit:
Nux juvat atque Indis ad nos advecta Moluccis,
Et Bandâ, & Ceylan, quæ dicta Myristica Græcis,
Concretæ Myrrhæ lacrymæ, spicataque Nardus,
India quam mittit, hirsutis illa capillis
Et fuscis riget, est humilis, & proxima terræ
Nascitur, huic vehemens odor est, sed non inamœnus,
Fibrata est radix; prosunt humilesque Myricæ,
Ad Rheni ripas oriuntur, & Alpibus altis,
Curcumæ radix croceo saturata colore;
Huic albi folia hellebori, magè lævia, flores
Purpurei, spinis armantur tegmina acutis,
Quæ fructum includunt, quali velantur amictu
Castaneæ dulces, referunt & semina pisa
Et mole & specie. juvit pallensque Cuminum,
Asparagus, Ruscus, Rha Ponti, Agrimonia, Anethum,
Capparidis cortex, folia & fructus Terebinthi,
Balsama, Phyllitis, Viscus, lacrymæ Sycomori,
Cuscuta, & Filicis radix, incocta in aceto
Brassica, & ambustæ Vitis cineres, Hederæque
Et folia, & baccæ, radix & Aristolochiæ,

Guaiacum, radix Acori, Chrithmumque marinum,
Baccæ Solani ſcandentis, agreſte Papaver;
Arboris & cortex, ſub quâ pulcherrima Thiſbe
Enſe gravi cecidit, Pyrami malè ſaucia amore;
Cubebæ, ſiliquæque ſubacta farina in aceto,
Et nitro; Stœchas, quæ dicta Chamæpitys herba,
Jaſminum referens foliis fruticanſque Triphyllum.

STERNUTATORIA.

SI tibi fert animus ſternutamenta movere,
Ut caput, & cerebrum variis humoribus aucta
Exoneres, nareſque foras via aperta per ambas
Incluſum deturbet onus, pituitaque pleno
Flumine præcipitet; confert hìc Salvia crebra
Naribus ingeſta, & ſerratis, Ptarmica, acutis
Et foliis, albi candent in vertice flores,
Viſitur in pratis interque nitentia culta:
Veſtibus & maculas quæ Saponaria tollit,
Prodeſt, ſunt folia huic nervo diſtincta frequenti,
Erigitur genibus caulis, ſunt lychnidis albi
Et flores, petalis conſtantes quatuor, udis
Naſcitur illa locis; nec ſunt ſpernenda Sinapi
Semina mordentis, Pyrethri nec pulvis Iberi,
Juverit & ſegetes creſcens Thlaſpi inter amœnas,
Quæque Roſæ medio funduntur flava caninæ
Stamina, & Americâ Tabaca advecta calenti,
Candidus Helleborus rabidi medicina furoris;
Conſpicuum eſt folium latæ plantaginis inſtar,
Concavus eſt caulis, digitos & quatuor altus,

E me-

E mediis foliorum alis flos plurimus exit
Subviridis, densè congeſtaque ſemina granis
Æmula triticeis, tenuis membranáque cingit,
Radices albæ ſunt fibræ, & tenvia fila;
Naſcitur Helvetiæ ubertim ſub vertice Juræ,
Peſtiferæque colit loca quæ vicina Genevæ.
Profuit atque urens bulbo Ranunculus albo
Siccatus, radix noſtratis & Iridis, hauſtus
Naribus & Betæ ſuccus, ſuccuſque Anemones,
Braſſica & hortenſis, ſuibus gratiſſima præda,
Atque Cyclamini radix, quæ ſidere primo
Autumni floret, ſtiriis venit Alpibus, illi
Mole tumet magnâ bulbus, foliumque rotundum
Non aſaro abſimile eſt, pars una rubeſcit, & albet
Altera, huïc flores in nudo caule vacillant,
Qui violæ certent ſpecie, certent & odore:
Eliciunt cerebro & latices non ſponte fluentes
Betonicæ pulvis, ſævoque Euphorbia ſucco,
Provenit ubertim Libycis in finibus, arbor
Primò inventa Jubæ, medici rex nomen amici
Euphorbi memor impoſuit, vix vertice in auras
Sex pedibus ſurgit, radix eſt craſſa, colorque
Subfuſcus, caulis ſpinis armatur acutis
Nodoſus, craſſa emergunt folia, atque rotunda,
Sunt crocei flores, fructuſque triangulus illis
Succedit, triplici latitant & ſemina cellâ
Singula; ſi ferro lædatur, lacteus exit
Succus, & ardenti fauces exulcerat æſtu:
Sampſuchi juvat & ſuccus, latices & agreſtis
Naribus attracti Cucumis, dicunt Aſininum

Nonnulli; huic folia hortenſis ſunt, ſed magis illis
Obſcurus viror eſt, denſis hirſuta piliſque,
Moreque ſpinarum ſarmenta horrentia lædunt,
Claviculis nullis ſerpunt, flos concolor auro eſt
Stellatus, fructuſque minor, digitos duo longus,
Aſper & ille manum tangentis pungit, amarus
Eſt inſtar viſci ſuccus, ſunt ſemina longa,
Matura exiliunt ſubitò carpentis in ora
Attoniti, radix albet, triſtis ſapor illi,
Naſcitur hic Siculis, Gallis & plurimus oris,
Rudera amat, tritique placent crebro pede calles:
Laureola & prodeſt, atque Ocima olentia; diris
Credidit hæc meliùs devota vigere vetuſtas.

STRANGURIA.

UTILIS hìc Ruſci radix, Linaria, Daucus,
Conſolidæ flores majoris, Sonchus, & alba
Populus irriguo affectans loca proxima rivo,
Et Lyciæ proſunt Cedri flaventia poma,
Hanc alit ubertim tellus habitata Moravis,
Humani moles eſt cruris truncus, opacant
Diffuſi latè rami, flava aſpera cortex
Dilutè exterior, rubet intima, juniperique
Æmula ſunt folia huic, quæ primùm nata cupreſſi
Accedunt foliis; venit cùm fortior ætas,
Quæ manibus dulces compreſſa feruntur odores
Spargere, luteolum baccæ duxere colorem
Vergentem in rubrum; ſubtriſtis & eſt ſapor illis,
Æternæ viruere comæ, nec flamina cauri

Officiunt lætis, boreæve inamabile ſrigus,
Fœcundâ juges ſervantur in arbore fœtus,
Succeduntque novi lapſis; quæ vere recenti
Germina ſe trudunt, autumno anni illa ſequentis
Maturis pomis mutantur, nulla ferendi
Sic finis, multoſque ferax frondeſcit in annos.
Juvere & latices, quos fundunt citrea Mala,
Althææ in pinguem radix decocta ſyrupum,
Phœbææ Lauri baccæ, foliumque, & amaræ
Pæoniæ radix, & ſemina, Amygdala triſtis
Queis ſapor, & rubro Solana Halicacaba pomo,
Baccharis & radix, prædulci Smyrnia odore;
Pannonicis creſcens ſylvis & montibus altis
Biſlingua, hanc Hippogloſſon dixere Pelaſgi,
Dodrantem æthereas huic caulis ſurgit in auras,
Qui teres, hinc veniunt foliis folia æmula lauri,
Mole minora tamen, nervo ſulcata frequenti;
E medio exiguum folium, cui lingula forma eſt,
Emergit, cujus ſub tegmine bacca rubeſcens
Piſi mole oritur, longa eſt præduraque radix,
Alba, nec ingratas exhalat naribus auras:
Urinas nimiùm Scandixque ciere morantes
Dicitur, atque Orobi quæ ſemina triſtia aceto
Miſcentur, denſis ramoſa Aſplenia & alis,
Aſparagus, radix Acori, Bardana, Lyæo
Mentha incocta diu, Seſeli pratenſe, caninum
Et gramen, Mei radix & odora, Papaver,
Cui à ſpumâ nomen, Serpyllaque olentia, Xyris,
Et lentis folio quæ Anthyllis dicta marina,
Barbareæ ſemen, Mediæ ſemenque Conyzæ,

Semina

Semina Limonii, Marum infuſumque Falerno,
Affectans udas Anagallis aquatica terras,
Abietis & lacrymæ, queis Sacchara candida miſta,
Moſchatæque nucis pulvis, folia atque Cupreſſi;
Rectus ei truncus tenues aſcendit in auras
Pyramidum in morem, rami funduntur odori,
Pinguia Virgilii folia acceſſere myricæ,
Æternúmque virent, conos bis fertque quotannis
Fertilis hæc arbor, illis eſt forma rotunda,
Hiſcunt maturi, ventoque excuſſa feruntur
Semina, formicis alimentaque mitia parcis
Sufficiunt, ligno fulvi color æmulus auri,
Eſt & gratus odor, multos & durat in annos;
Hanc peperit Libycæ regio vicina Cyrene,
Et Rhodos, & magni Jovis incunabula jactans
Creta ſui, Lyciæ & reperitur montibus altis
Æternâ nive veſtitis, nec corniger Ammon
Hâc caret ardenti paſſim veneratus arenâ,
Plurima nam ſacri circumſtat limina templi.
Spongiolæque juvant, quas fert Roſa ſæpe rubentes
Sylveſtris, ſemen quod præbet ſolſtitialis
Carduus, Abrotani ſemen, Glycyrhizaque, radix
Albæ Saxifragæ, generoſo incocta Lyæo,
Granaque Lepidii, Pſeudodictamnus, amœnis
Floribus, Onobrychis; ſunt illi lenta flagella,
Quæ aſcenſu ſuperant vicina arbuſta, minoris
Sunt folia huic viciæ, aut lenti cognata, coloris
Purpurei flores ſummis in caulibus hærent
Conſpicui, lapſis ſiliquæ ſubiere rotundæ.

TABES.

HIC rubro prodeſt Anagallis maſcula flore,
Si flammâ eliciti latices cum lacte recenti
Sint miſti; Helxine, ſunt huic gratiſſima ſedes
Ruderaque, & muri, dejectæ & fragmina turris;
Littoribus crebra atque Eryngia nata marinis,
Pimpinella, rubens veſtit cui purpura flores,
Bellidis & flores majoris, & Hordea cocta,
Phyllitis foliis onerataque pluribus, atque
Paſtinaca frequens hortis, & Praſſia, candens
Et Siſeris radix, Rapi potuſque ſyrupus,
Atque arbor Vitæ, non quæ guſtata parentum
Humani generis reparet diſpendia, ſed quam
Græcâ voce Thuyam magnus dicit Theophraſtus:
Illius ampla ſatìs moles, cortexque rubeſcit
Dilutè, latè frondes panduntur opacæ,
In terram vergunt foliorum pondere preſſæ
Craſſorum nimio, quæ alata, manuque frequenti
Verſata exhalant ſuaves, ut aromata, odores;
Hæc inter veniunt flores, queis concolor auro
Eſt facies, noſtri negat inclementia cœli,
Quem natura dedit fructum melioribus oris
Conſtantem è ſquamis, conis ſimilemque cupreſſi,
Infoſſi terræ, deciſi ex arbore rami,
Vel ſcrobibus, facili ſurgent radice, feraces
Nec matri cedent, cùm firma advenerit ætas.
Collectique Goâ juvere ex arbore fructus,
Et lapſas reparant vires, roburque miniſtrant,
Ingenti & recto trunco petit aëra apertum,

Flava tegit cortex, umbroſa cacumina rami
Denſâ fronde virent, longis lentiſque flagellis
Telluri incumbunt, actis radicibus arbor
Crebra hinc exurgit, ſimili ordine & illa feraces
Fert alias plantas, donec labentibus annis
Fit nemus æſtivos aptum lenire calores ;
Hìc Indi inſano quærunt umbracula ſole
Exuſti ; & cæcos paſſim invenere receſſus,
Obſcuraſque vias, directo limite, ſylvâ
Et longo exciſâ, lucique hìc pervia, & auræ
Multa feneſtra patet ; tuti ſtatione greges hâc,
Atque armenta vident virides paſcentia dumos,
Prudenteſque cavent, ne hoſtile averterit agmen,
Dilanientve feræ palantia ; ludit & Echo
Mima, quater binas unâ hìc pro voce loquentis
Ingeminans, credas humano hanc ore locutam ;
Matrem à progenie vix eſt dignoſcere promptum ;
Indicium ſolum eſt à trunci mole, viri quem
Amplexa haud poſſint terni dare brachia circùm,
In ramis folia hæſerunt, quæ plurima ruga
Contrahit, & referunt, quæ dat, cui nomina, Malus,
Urbs Cydon impoſuit ; pars eſt quæ prona vireſcit,
Quæque ſupina albet tenerâ lanugine cana ;
Hæc avidè niveo detondent dente elephanti,
Pollicis eſt moles fructu, diverſa figura
Nec fici eſt, virides ſervantur in arbore frondes
Semper, nec rigidæ nocet inclementia brumæ ;
Hanc pariunt variæ regiones orbis Eoi.

TINCTO-

TINCTORIA.

EN tibi quæ plantæ ſunt tinctorum uſibus aptæ.
Luteola albentes decocta in alumine lanas
Nativo candore orbans flavedine tingit.
Cœruleaſque jubet viridi ridere colore,
Alnus aquâ madefacta diu, queis funera curæ,
Lugubres præbet veſtes, cùm triſtia mater
Nati fata dolens udis deplorat ocellis,
Vel lacrymis ſuffuſa genas cùm lumine caſſum
Elatumque foras deflet nova nupta maritum;
Sit ſocium ſcabrâ ferrum rubigine adeſum.
Quis velit, ut Tyrio veſtis ſit concolor oſtro,
Quæ deceat Martis comites magnoſque tyrannos,
Confert hìc Rubiæ radix; ſuper ardua rupis
Vincentî invenias, Belgarum proxima Ventæ,
Briſtolium vocitant vulgari voce Minores,
Hanc & alit Lactodurum, & Devonia paſſim:
Sanguineo & tingit veſtes Anchuſa colore.
Sin verò pulcher placeat color ætheris alti,
Glaſta dabunt nudis olim bene nota Britannis,
Purpureo & Cyanus referens bene cœrula flore,
Rupibus & gaudens Lichen petræus: abunde
Cambria alit, ſterilis longo & Weſtmoria tractu,
Quoſque agros Urus, Deroiſque amplectitur undis:
Intyba cœruleo & proſunt Delphinia flore:
Purgantis viridem Rhamni dat bacca colorem;
Tinctorique minor non ultima cura Geniſta eſt.
Indica cœruleum præbet peregrina colorem;
Hanc Arabes dixere Anil: huic plurima proles

Pallulat exurgens unâ ex radice, colore
Non cineri abſimili immundo, vix ſurculus ullus
Craſſior eſt minimo digito, vix altior exit
Sex palmis, ciceris folium eſt in vertice ſummo,
Candiduli pendent flores, queis purpura miſta eſt,
Succedunt ſiliquæ quæ nigro ſemine fœtæ.

TORMINA.

TORMINA ſi ſævis lacerent cruciatibus ægrum,
Ilia dum crebris urgentur flatibus, & dum
Invertit proprias ſedes chordapſus; amœni
Trifolii proſunt flores, & ſemina parvo
Clyſtere in ventris cæcos injecta receſſus:
Contulerint triſti Tanacetaque prædita ſucco,
Verbenæ & ſacræ latices, Urſinaque radix,
Dicta Meum Græcis: nutrit Weſtmoria paſſim,
Quà via Sedbergo parvam deducit ad Orton,
Atque ubi prata virent, jucundâ & imagine paſcunt
Paſcua cernentûm mentes; eſt & ſuus uſus
Serpyllo in tumulis, nec mollis Amaracus abſit,
Nec tibi vivacis deſint flores Amaranthi
Purpurei: huic folia haud ocymo diſtantia, multò
Mole tamen majora, rubent caules, & onuſti
Prole tument crebrâ, decorat ſtria multa profundè
Impreſſa, in ſpicam flores coïere comantem,
Quæ nec ſicca ſuæ patitur diſpendia formæ;
Semina maturi nigro ſaturata colore,
Lucida quaſſatis ſaliunt de floribus; illi
Creditur eſſe ſolum natale exuſta calore
India, & Americi quæ dicta eſt nomine terra;

Conſpicuum ingreditur cùm Phœbus Virginis aſtrum,
Floret, & æternos lethi expers pandit honores.
Nec minùs hic ſævos morbi ſedare tumultus
Zinziberis potis eſt radix: vix diſtat ab acri
Iride, ſi faciem ſpectes, acori redolentis
Æmula ſunt ſolia finitaque cuſpide acutâ,
Ordineque alterno creſcunt, vaginaque caulem
Altum ſeſquipedem cingit, digitos duo longi
Sunt flores vel tres, petala his ſunt ſquamea plura:
Bengala dives alit, Gangi contermina & Indo.
Et juvere Nuces, quas præbet Amygdala dulcis,
Sacchara queis, Manna & juſto ſunt pondere miſta:
Non parva eſt arbor, radix eſt virgea, plures
In ramos diviſa fluit, vix truncus in altum
Unquam rectus abit, cortex ſatìs aſpera, ligna
Dura rubent nimiùm, paſſim diſtinctaque crebris
Sunt folia huic crenis, effundit qualia malus
Perſica, quinque nitent petalis floreſque decorem
Albentes, niveæ ſed juncta eſt purpura formæ,
Eſtque calyx ſimplex, ſupremaque ſegmina labra
Quinque ſecant, fructuſque ſtylo compreſſus utrinque
Vix medium longus digitum ſuccedit, acutum
Durumque oſſiculum involvens, ſub tegmine at illo
Incluſus latitat nucleus, cui candida pulpa eſt,
Exterior facies rubro eſt infecta colore.
Quid memorem Eois fragrantia Cinnama ſylvis,
Et piper atque macim fuſcis advecta Moluccis,
Moſchataſque nuces, quas mittit Banda frequentes?
Quid Caryophylla, & pallentis grana Cumini,
Angelicam, Carum, Coriandrum, ſemina Anethi,

Cardamoma (Indis eſt plurima copia terris)
Cubebas piperi ſimiles, Javamque Galangam,
Semina Fœniculi, bene olentis ſemina Aniſi?
Quid memorem Lauri baccas, Abſinthia, odori
Radicem Calami, fœcundo è vulnere matris
Quæ fluit, & Myrrham, collectaque Succina magno
Eridano, Heliadum lacrymas, Phaethontis amati
Populeas inter frondes dum funera deflent,
Ubertim fuſas, concretas invehit æquor
Littoribus, mundi vertex quà vergit ad arcton.
Hìc quoque profuerint Seſeli pratenſe, canini
Graminis & radix, Mentaſtrum, Aſclepias alba,
Hortorum in vino Coſtus, Colocynthis amara,
Atque Chamæmelum, Centaurea magna, Conyza
Flore & cœruleo, Melilotus, Ruta, & odoræ
Juniperi baccæ, Sonchus, Petroque-ſelinum,
Carduus & meritò dictus benedictus Iaccho
Infuſus, Milii ventrique admota dolenti
Semina, quæ flammis, nimio & ſunt torrida ab igne;
Auriculæ radix urſi; quæ excocta favillis
Tubera ſunt Scillæ, Daucus Cretenſis, odora
Balſama, Coralii pulvis, Peucedana, radix
Et Siſeris quæ incocta mero, radix Ebulique
Sanguineæ, Bellis majorque, Halimuſque marinus;
Profuit & cortex, quam præbent aurea Mala,
Zinziberis facie Zedoaria odora, paluſtres
Enula amans terras, redolenſque Lavendula, baccæ
Laureolæ, pepli muria & quæ ſemina condit,
Winteri cortex, bene olentis copia Thymbræ.

TUMORES & INFLAMMATIONES.

EXORITUR tumor aut læſæ inflammatio partis,
Contingunt liquidæ cùm denſa coagula lymphæ,
Quæ vi vaſa premunt nimiâ, proprioſque canales
Sanguinis occludunt; curſu indignatus at ille
Siſti, ſævit agens, nec clauſtra priora moratus
In vicina furens cumulo ruit, omnia inundant
Flumine purpureo, fibræ hinc cuneis ut adactis
Sedibus emotæ, confuſo atque ordine plexæ,
Pluſque ſatìs tenſæ, diros peperere dolores:
Hæc clauſos reſerant ductus, fibriſque tenorem
Reſtituunt, laxantque cutem, concretaque ſolvunt,
Utque ſuo, faciunt, rurſum ſanguis vagus alveo
Reddatur: latices, quos fundit læſa Myrica,
Excoctos avidis flammis undantis aheni:
Mole ſatìs magnâ eſt arbor, folium cypariſſi
Quod tenui obtectum lanâ, fert æmula gallis
Poma, volens oritur fluviali proxima ripæ,
Nec tamen averſa eſt, nec ſiccis pugnat arenis,
Huic natale ſolum ſola eſt Ægyptia tellus.
Juvere & teneræ radices Orchidis albæ,
Quæ ſolet in pratis vario ridere colore,
Elicitumque oleum contuſo è ſemine Lini,
Atque Apii ſuccus, ſuccus mucoſus & albæ
Vitis, quæ preſsâ fluit è radice; Cuminum,
Veſtita & niveo redolentia Lilia amictu,
Et Chærophyllon, grato Myrrhiſque ſapore,
Floreque candenti Lamium, ſecreta farina
Furfuribus cribro, Coriandri cui herba recentis

Cocta

Coƈta ſit in pultem commiſta, & pinguis aquoſis
Pinguicula in terris naſcens, flores & Ericæ,
Et virgulta novo turgent dum fœta liquore,
Perfoliata frequens ſegetes nata inter opimas,
Et Laurus Tinus; magnæ prope mœnia Romæ,
Et Tibur creſcens rapidas Anienis ad undas,
Viſitur atque inter Valenæ umbracula ſylvæ
Monſpelio haud multùm diſtantia: cæſia Bacca;
Fœmineæ & Corni folium, ramoſa Galega
Juverit; Hiſpanis, Italis & plurima terris
Propter aquæ rivos, aut ſicubi pinguia prata,
Naſcitur, Euganeis in montibus, atque frequenter
Cernitur Hungaricis oris, Vincentia nutrit,
Quamque olim antiqui dixere Antenoris urbem;
Cùm ſol Erigonen inter, ſævumque leonem
Armatas agitat flammis & luce quadrigas,
Pullulat in plures flores ſpecioſa decoros:
Huic caulis ter ſex digitos exurgit in altum,
Hinc multi rami emergunt, alternaque creſcunt
In viciæ morem folia ampla, extenſa ſatiſque,
Pars adverſa viret, pars aſt averſa colore
Cœruleo eſt; flores apparent vertice ſummo
Candiduli, niveæ ſed miſta eſt purpura formæ,
Succedit ſiliqua in teretem formata figuram
Plurima, vivax eſt radix lignoſa, breviſque,
In terram crebras dimittens undique fibras;
Nonnulli hanc plantam Rutam dixere caprorum.
Cæpa quoque Ægypto quondam venerata tumores
Leniet admota, in calidis bene toſta favillis
Oxalis, atque croco commiſta, oleove roſarum

Cruda,

Cruda, vel in chartâ ſopito cocta ſub igne,
Quique fluunt latices Terebinthi è vulnere læſæ:
Sunt folia huic orni, quamvìs non ſint ita longa;
Craſſa tamen magè ſunt, magè ſunt & pinguia, in illis
Æternus viror eſt, lentiſci atque æmula cortex
Lignaque, prædurae penetrant in viſcera terræ
Intima radices, flos illi qualis olivæ,
Sed magè purpureus, longis & poma racemis
Dependent, onere & rami curvantur olentes:
Hanc prope Monſpelium ſylvæ peperere Valenæ,
Et quos umbroſos jactat Gramontia lucos,
Finibus invenit florentem & Raius Etruſcis,
Naturæ antiſtes Raius, Phœbique ſacerdos,
Raïus æternâ tranſmitti in ſæcula famâ
Dignus, ſublimiſque illuſtri in luce reponi;
Non ille in terram divinæ particulam auræ
Merſit iners, nec conceſſos inglorius annos
Tranſegit pecudum in morem per ſomnia, rerum
Invia cura illi in ſeros ſed ferre nepotes,
Atque arcana Dei Stygiis immerſa tenebris
Eruere, è cæcâ & caligine pandere verum,
Theſauros & opes naturæ promere opertas:
Ergo tuum nunquam radent oblivia nomen
Magnorum heroum è numero, te gloria terris
Ereptum cœli fulgentibus inſeret aſtris.
Te volucrum pinnata cohors flevere, ſub undis
Flevere & piſces, te muta animalia, flevit
Serpentumque genus, plantarum & quicquid ubique eſt,
Quas juga, vel ſylvæ, valleſve tulere profundæ,

Vel mare, vel flumen, putei, craſſæve paludes,
Fata viri tanti flens cunctis tabuit oris;
Attonita at ſolito Chloris viduata decore
Hæret, & effuſis latè loca queſtibus implet.
Qui legis hæc, parcas, juſtoque ignoſce furori,
Si recto flectens de tramite devius errem
Propoſito, & celebrem conſpergam fletibus urnam.
Nec minùs hìc juvere, & dura oedemata ſanant,
Quæ nobis molles redolentia Thura Sabæi
Sufficiunt, læſæ lacrymas de vulnere matris
Manantes, Lovan Arabes dixere, nigranſque
Populus, atque Storax Siculus, ſiliqua & Columellæ,
Hanc Carphon Graii, Græcum dixere Latini
Fœnum, Thapſia olens; Gargani in vertice montis,
Campanoque jugo tribuit cui nomina virgo,
Sponte venit, ferulæ eſt facies huic, fœniculique
Sunt folia, umbellæ cernuntur vertice anethi,
Luteoli flores, radicis candida pulpa eſt,
Sed cutis exterior nigro eſt infecta colore,
Semina ſunt ferulæ, multò ſed mole minora,
Obſcura apparent, multâ & ferrugine tincta.
Nec tibi ſpernenda eſt, quam dives Borneo mittit,
Camphora, quæ læsâ manans de Caphure pingue
Duruit in gummi, ramis eſt pluribus arbor,
Aptaque Phœbæos umbris arcere calores
Menſibus æſtivis, humanam æquanſque ſtaturam,
Denſa ſeges foliorum illi, quæ lævia lucent,
Criſpaque, & extremas undata lacinia partes
Ambit, & innuptæ facies eſt æmula lauro,
Atque idem viror æternus, gravis aſt odor illis,

Qui

Qui patulas feriat nares, incognita forma eſt
Floris adhuc, calycis ſed forma oblonga, rotundum
Includit nucleum tegmen ſat molle, palato
Qui non diſpliceat, pinguis licèt acer & illi
Sit ſapor, in partes diſpertit rimula binas;
Camphora præcipuè medicos ſervetur in uſus,
Candida, ſicca, nitens, pellucens, quæque friari
Apta ſit, & triſtis guſtantis ſit ſapor ore,
Atque acer ſit odor, qualis rorique marino.
Galbana nec ſævis deſint inimica chelydris,
Concretæ lacrymæ Ferulâ de matre fluentes
Vulneribus crebris læſâ; ſunt qualia aniſi
Huic folia, at majora, colorque eſt cæſius illis,
Atque ſapor triſtis diſtorquens ora, inamœnus
Nares lædit odor; Meſſanæ in montibus altis
Ubertim venit, atque Italis eſt plurima terris
Copia, Monſpelii & præruptis rupibus, & quà
Te Frontignanam via dextera ducit ad urbem;
Apta medulla ſatìs rapiendis fomite flammis
Caulis fungoſa, hinc ferulâ bene fingitur olim
Sedibus æthereis traxiſſe Prometheus ignes,
Lacteus eſt plantæ ſuccus, ſapor acer, odorque
Naribus ingratus, rubeus color optimus olli.
Contulerint Ebuli folia, & Melilotus, odori
Sampſuchi pulvis, Cotyledon, Malva, Tabacum,
Althæa, Abrotanum, donum frugale Minervæ
Atque oleum, auſtero Sagapenum infuſum in aceto,
Mentha, & Hyoſcyamus cui flos eſt concolor auro.

TUSSIS.

HUjus origo ſerum ſalſum, quod flumine pleno
Præcipitans fluit in guttur, ſummamque laryngem
Afficit, & tenuis, quæ proxima, vellicat; humor
Irritanſque ciet tuſſim, atque impulſibus ægros
Pulmones quatit aſſiduis; pituita moleſta
Nec minùs eſt illis, craſſo quæ glutine pinguis
Oblimat ſtrictos aditus, notoſque meatus.
Helenii hìc radix, cui ſacchara candida miſta,
Juverit, Eryſimum, Daucus, Verbena, farina
Caſtaneæ, Violæ dulci ferrugine tinctæ,
Bechion, Urticæ radix & ſemina, Lino
Elicitumque oleum, Petaſites, Juniperique
Maturæ baccæ, candentia Praſſia, olenſque
Peucedanum, Helxine, Periclymenon, & Glycyrhiza,
Barba capri, Scabioſa pilis hirſutaque crebris,
In morem calycis Muſcus formatus, odori
Puleii ſuccus, ſylveſtris Amaracus, illi
Origano eſt vulgò nomen, folioque rotundo
Heſperis allium olens, triſti quæ imbuta ſapore,
Iridis & radix, folium huic formatur in enſem,
Atque canaliculis crebris diſtinguitur, illi
Aſſurgit genibus caulis glaber, atque rotundus,
In ſummo flores Tyrio conſpecti in amictu
Cernuntur, faſtu pleni capita alta ferentes,
Semina ſuccedunt rubro ſaturata colore,
In parvas glomerata pilas, eſt candida radix,
Pluribus & nodis riget horrida, plurima fibra
Sub tellure latet, morſæ ſapor ardet in ore:

In

In muris paſſim dives Florentia nutrit;
Proderit & multùm Porrum tibi ſectile toſtum
Sub cinere, aut coctum flammis undantis aheni,
Smyrnia convalles, umbras & amantia denſas,
Somnifer & ſuccus, quem læſa Papavera fundunt,
(Hunc Opium medici vulgò dixere periti,)
Quodque Aron paſſim profert Ægyptia tellus,
Incoctum lacti, aut oleo, quod Amygdala præbet;
Ocymon infuſum Bacchi fumantibus undis;
Crenatum huic folium, multúmque accedit amœnis
Heſperidum pomi foliis, nec cedit odore,
Spicati candent flores, ſunt ſemina nigra.
Juverit atque recens undâ mollita Chamædrys
Ferventi, toſta & flammis Agrimonia ſuccos
Quos dat, & ardenti domitum Polypodion igne
Quas ſudat lacrymas miſero non ſponte fluentes,
Sebeſtena juvant & Pruna domeſtica; pruno
Arbor alens minor eſt, fert hanc Nilotica tellus,
Hancque Aſiæ paſſim fines aluere remoti,
Candida palleſcit trunci cutis uda, viretque
Ramorum cortex, foliique eſt forma rotunda,
Cognatus pruno fructus, nucleuſque trigonus.
Nec ſuus uſus abeſt Rutæ, nec Zizipha proſunt
Hìc minùs, & Storacis non aſpernenda medela;
Arboris unde fluit ſpecies, cui nomina malo
Urbs Cydon aſcripſit, ſimilis, ſed cana, minora &
Sunt folia, in formam quæ ſunt expanſa rotundam,
Flos illi niveus, nec multùm diſtat ab illo,
Qui Heſperidum malos candenti veſtit amictu;
Hunc ſequitur fructus, qualis nux Pontica, paulò

Sed minor, in longam evadit pars ultima caudam
Mucronatus apex, multâ lanugine tectum
Involvit nucleum tegmen, clauduntur in illo
Semina; Pamphyliis, Syriis reperitur & oris,
Sed nec abeſt Siculis, Latiis & cernitur hortis.

VARIOLÆ.

UTILIS hìc Crocus eſt, Aquileïa, ſemina Rapi,
Quemque dedit ſuccum Scabioſa hirſuta ſalubri
Theriacæ admiſtum, comes adſit Camphora parcâ
Diſpenſata manu, ripiſque Calendula Senæ
Dicta humilis naſcens, aut ſicubi læta vireſcunt
Vineta in tumulis, triſtis ſapor, atque inamœnus
Eſt odor, hanc tetro compoſtam ſulphure totam
Credideris; proſunt Lappæ decocta & amaræ,
Et ſal fraxineus potu dilutus in apto,
Sambuci ſicci flores in lacte cremoris
Experti infuſi, terris & Scordion udis
Inventum, Rubus Idæus, ſic dictus ab Idâ
Monte olim celebri, famâque in ſæcula notâ
Judicio Paridis, cœlo cùm Juno relicto,
Et Venus, & Pallas dubiæ diſcrimina formæ
Suppoſuere uni, quæ quâ ſit pulchrior illi,
Et quæ jure habeat ſperati præmia Mali.

Vide Alexipharmaca & Diaphoretica.

VENEREM STIMULANTIA.

ACCENDUNT Veneris, ſævoſque Cupidinis æſtus,
Aſparagus, Dauci ſemen, Naſturtia, Anonis,
Cannabis, & Lappæ radix cauleſque tenelli,

Dulce Apium, Rapi ſemen, ſemenque Sinapi
Mordentis, triſti Faba conſignata figurâ
Et Samio damnata ſeni, nux Pontica, molles
Caſtaneæ, Muſæ fructus, Dentaria major:
Candida huïc radix, denſis atque obſita ſquamis,
Quæ dentes referant, eſt mollis, fœtaque ſucco,
Huic teres emergit caulis, qui non orobanche
Diſſimilis, pinguis, fragilis, vix altior unquam
Dodrante, hunc tenuis veſtit membrana, minoris
Craſſities digiti eſt, medio de corpore flores
Ad ſummum erumpunt, niveo commiſta colori eſt
Purpura, diducto ſcinduntur & oſcula hiatu
In galeæ morem, flori tenuis lobus omni
Aſtat, & in globulis ſemen concluditur arctis,
Quale papaver habet, triſtis ſapor acer in ore,
Affectatque umbras, ulmo & loca conſita crebrâ.
Nec tibi lineolis decuſſatim undique ductis
Per folia in limæ morem ſint ultima curæ
Hormina, atque oris Eryngia nata marinis;
His radix bis ſex digitos deſcendit in altam
Candida humum, digitumque eſt craſſa, rigetque
Tuberibus crebris caulis nodoſus, in ulnæ
Porrigitur ſpatium longus, panduntur in orbem
Huic patuli, densè & circumfuſi undique rami,
Horret & à ſpinis, folium vix tangitur unquam
Impune, in plures eſt didita fimbria crenas
Ilicis in morem, florum confertaque turba
Exiguis nitet in globulis, queis cæſia forma:
Quemque crocum tribuit Walden celeberrima, prodeſt,
(Hunc veteres ſpicam vates dixere Ciliſſam)

Fœni-

Fœniculumque virens, tenera & quæ lactet in herbâ
Mentha, frequens hortis & Paſtinaca, ſalaxque
Eruca, atque Orchis quæ Chriſti palma vocatur,
Nec malè; namque manum in digitos diviſa tenellos
Pulchra refert radix; pratis hæc naſcitur udis;
Lilii huïc folia, & nigris interlita guttis,
Eſtque teres caulis, creſcunt in vertice ſummo
Congeſti in ſpicam flores, galeæ inſtar hiantes,
Nunc nivea eſt facies, nunc rubro murice fulget,
Nunc pallet, vario & ludit natura colore,
Sæpe & diverſis animantûm corpora formis
Effingunt flores, muſcas, veſpaſque tremendis
Armatas jaculis, & apum denſa agmina, ranas,
Quodque magìs mirum, virides ex caule puellas
Pendentes vidi nudas, pueroſque tenellos.
Profuit & radix Orobanches, carpta furentes
In Venerem impellit, ſi vera eſt fama, juvencas;
Moſchatæ juvere Nuces, veſcumque Papaver,
Granaque cocciferæ Quercûs, piſi æmula mole,
Hæc Arabes proprio dicunt cognomine Chermes,
Ilicis arbor alens ſimilis, multò aſt minor illâ,
Nec negat hæc glandes, duplici fructuque ſuperbit,
Hiſpanis, Italis, Gallis & naſcitur oris;
Optima grana illi, Rhodani quæ propter amœnas
Floret aquas; magnos hinc dives purpura reges
Veſtit, & heroas in prœlia Martis euntes.
Quid memorem longumque Piper? quid dulcia dicam,
Nigra & arenoſis quæ Bulbocaſtana terris,
Atque ſolo ſterili veniunt? quid grana Erebinthi
Laſciva, atque Italæ candentia ſemina Oryzæ?

Huic folii facies dispar nec arundinis, altus
In cubitum surgit culmus nodosus, & illi
Crassities eadem, quæ est triticeo, tumet aucta
Spica frequens summo granis, non æqua locatis
Per spatia, includunt siliquæ, queis est color auri,
Hirsutæ, ovalis formæ, stria crebraque signat.
Et Cyprios fovere ignes quæ Tubera terræ
Vesca solent dici; feriunt grave olentia acuto
Offensas nares sensu, color omnibus ater,
Scabra rigetque cutis, sterili contenta soloque est.
Nec minùs in Venerem stimulant Sisyrinchia, Rapum
Matthioli agreste; hoc passim tibi Flandria nutrit
Ubertim in fossis, divesque Bohemia, & oræ
Helvetiæ; & vino prosunt infusæ in Ibero
Cubebæ, magno Καρπησία dicta Galeno;
Quæ tulit has arbor, specie est quali aspera Smilax,
Huic Java est natale solum, fuscæque Moluccæ,
Æmula grana piper referunt, cinerum color illis
In fuscum vergens, parvoque hærent pedicello
Rugoso fragilique inclusa, putamine fracto
Cernitur hoc simplex semen, cui sphærica forma est,
Pars oculis observa nigret, pars altera candet
Interior, tristis gustantis & est sapor ore,
Gustatum tardam est aptumve movere salivam.
Angelicæ juvat & radix, cui sacchara mista
Candida, Lentisci gummi, mucrosaque radix
Consolidæ in pinguem lento decocta syrupum
Igne, adsint pariter Corallia rubra, decoræ
Et Palmæ fructus, digiti cui nomina forma
Indidit, atque Italis crescentia Zizipha in oris,

Gummi Animæ læſæ ſtillans de vulnere matris,
Squamati Cinaræ fructus, gemmæque recentes,
Quas ſolis dat flos, Radix urſinaque, dulces
Conorum Pini, nuclei, Ferulæque medulla,
Caucalis, & crocei, quos præbent Gallia, flores
Naribus admoti, in vino decoctaque radix
Abrotani; Virgulta toro, ſi credere fas eſt,
Suppoſta; Urticæ ſemen, radix Siſeriſque,
Piſtaciæque nuces, nux Veſicaria, Anethum
Atque oleo infuſum, & ſplendentia ſemina Lini
Cum pipere & melle, in mollem confecta placentam,
Fraxineum ſemen, Carum, redolens & Aniſum,
Semina Goſſypii, quæ dicta inſanaque Mala:
Planta ferens tenues binos vix ſurgit in auras
Alta pedes, denſè rami hinc funduntur opaci,
Candidi Hyoſcyami folia his ſunt hirta, coloris
Ex fuſco in viridem vergentis, candida florum
Eſt facies, tingit nonnunquam purpura, ſenis
Qui conſtant petalis, ſunt ſtamina lutea, fructus
Solani in morem Calyci inſertus Polygono
Lethiferi, lapſis ſuccedit, mole & oloris
Ovum exæquârit, niveo nunc ſplendet amictu,
Nunc croceo, fuſcum nunc obtinet ille colorem,
Contendant auro compreſſaque ſemina, radix
Craſſa premit terram, crebrâ eſt donataque fibrâ,
Sponte in arenoſis Ægypti naſcitur oris.
Mala nec Æthiopum ſunt hìc ſpernenda, coloris
Sunt nivei frondes, ad coſtam plaga profunda
Incidit mediam, ſpinis quæ horreſcit acutis,
Albeſcunt flores, ſenis conſtant petaliſque,

Aureus in medio ſtylus eſt, ſunt poma rotunda,
Sulcus arat creber, cùm jam matura rubeſcunt,
Compreſſum eſt ſemen, parva eſt, fibrataque radix.
Pomaque profuerint, quæ præbet dulcia Anamas;
Qualia aïzoi, folia huic viruere, paluſtris,
Armata in limbo ſpinis, cauliſque rotundus
Uno eſt contentus ſupremo in vertice fœtu,
Cui color eſt auri maturo, ſquamea veſtit
Pellis, nec diſpar meloni & mole, & odoris
Eximii, ſummique tenent faſtigia fructus,
Nunc imas gemmæ partes, tellure repoſtæ
Ubere quæ ſi alias pariunt ſinè ſemine plantas,
Guſtantis docto eſt gratiſſima pulpa palato,
Braſiliæ paſſim venit ultro immanibus oris.
Accendunt Paphias flammas ex arbore Jaccâ
Collecti & fructus: ingentis molis in auras
Evehitur, folia huic palmam ſunt lata, viroris
Diluti, in partes nervus diſcriminat æquas
Prædurus, fructus non dant virgulta tenella,
Aut frondes, verùm è trunco, ramiſque vetuſtis
Naſcuntur, moles eſt æqua cucurbitæ & illis,
Innocuis ſpinis nigriſque onerantur; odoris
Maturi eximii, cedunt dextræque prementi
Jam molles, culter ſi dividit, alba medulla
Cernitur ex flavo, fœtu quæ plena frequenti
Caſtaneis ſimili, involvit tegmenque coloris,
Qui cineri; Goa, & Malabar genuere feraces,
Quà rivi lætos reddunt uligine campos,
Garrulaque objectis immurmurat unda lapillis.

VENTRICULUM ROBORANTIA.

SUFFICIUNT ſtomacho vires Abſinthia amara,
Coccineæ Sorbi baccæ, circundata ſpinis
Berberis, & rubro ridentia Fraga colore,
Atque Acori radix, Caryophyllataque ſylvis
Umbroſis naſcens, montes atque inter apricos,
Hæc modò coccineo, croceo modò flore ſuperbit;
Oxalis, horrentes Pruna & ſylveſtria dumos
Inter nata, ſolo ſterili Rapunculus ortum
Debens, & Siſeris radix gratiſſima in ore,
Puleium, ſquamata caput Prunella, & odorum
Mentaſtrum, campis paſſim Calamintha frequenſque,
Unde ablata ſeges plauſtris ſtridentibus, udis
Atque Aſiæ terris creſcens pratenſe Cuminum,
Hedyſari ſuccus triſtis, Lentiſcus, amaræ
Huic myrti folia in ramo bis quatuor uno
Emergunt, ſpatiis ſunt æquis diſſita, utrinque,
Dilutéque virent; vena aſt mediana rubeſcit,
Atque extremus apex, eſt æternus viror illi,
Coccineus rubet & cortex, qui glutine lentus,
Ad tactum & mollis, denſam congeſtus in uvam
Eſt fructus, ſiliquis clari clauſique recurvis
Pellucent latices, qui certo tempore parvos
In vermes abeunt, patulæ ut ſæpe accidit ulmo,
Arbori odor gravis eſt, nec quiſque impune ſub umbrâ
Dormierit, capitis diros parit illa dolores;
Hanc Chios, Ægea & Jovis incunabula jactans
Inſula alit, Gallis, Italis & cernitur oris,
Montibus incultis, aut ſicubi confraga ſaxa;

Sed

Sed vix injuſtam hìc ſurrexerit aucta ſtaturam
Unquam, humilis fruticis ſemper natura manebit:
Piſtaciæ & juvere nuces, dilecta Maroni
Parthenope tulit has, Venetis & plurima terris
Copia, veſicâ fructus & Staphylodendri
Incluſi tenui, calvæ ſimileſque humanæ,
Sambuci huic folium non multùm diſtat olentis,
Nec diverſus odor nares ferit, æmuli & uvæ
Conferti flores, niveo velantur amictu.
Profuit & patriæ inducens oblivia fructus
Loti; olim formâ nimiùm præſtante puella
Lotus erat, parvo vocis diſcrimine Lotis
Dicta fuit, fœdi dum vim fugit illa Priapi
Territa, & amplexus divi indignatur amantis
Obſcœnos, luco ſubitò ſtetit arbor in alto;
Plinius hanc Coltem Romano nomine dixit;
Mole pyri major ſurgit, tenueſque it in auras
Altior, eſt truncus craſſus, ſunt craſſa & opaca
Brachia ramorum, quæ latè expanſa, vireſcit
His lævis cortex, miſtâ & ferrugine livet
Nonnihil, urticam frondes retulere, apiceſque
Attenuat mucro ſummos, creberrima limbum
Crena ſecat ſerræ in morem, ſtria lutea tingitque
Ex albo ſparſim, floris cognoſcere formam
Non licuit, cunctis namque alta ſilentia libris
Involvunt tenebris verum, ſunt poma rotunda,
Caulibus atque hærent longis, ceraſique figura eſt,
Et moles, primùm flaveſcens eſt color illis
Candenti miſtus, pòſt & rubuere, nigrentque,
Maturis tandem cùm plena adoleverit ætas;

Æquora

Æquora quà timidis faciunt malè pervia nautis
Syrtes & miſeris, rutilis Naſamones in armis
Inſultant, hìc ſponte venit, fœcundaque, Menynx
Inſula alit paſſim, Galliſque frequenter in arvis
Naſcitur, atque Italis, Germanas nec fugit oras
Egelidas. ægro ſtomacho gratiſſimum acetum,
Cui ſicci infuſi fuerint flores bene olentes
Sambuci, Rubus Idæus nec inutilis, illi
Vulgaris multùm non ceſſerit, æmula ribi
Atque Chamæmorus foliis, Vaccinia nigra,
Rubrâ & Myrtillus pulpâ, Vaccinia & albâ,
Atque Oxycoccus, vitiſve Idæa paluſtris;
Serpylli huic folium, tenues ſunt viticulæque
Fuſæ & humi, petalis flores ſunt quatuor aucti,
Inque ovi oblongam bacca eſt glomerata figuram;
Iridis & prodeſt radix, Aſtrantia odora,
Cinnamo & eliciti latices, Fumaria, Arecæ,
Quem dedit & ſuccum fructus, fungus Lariciſque,
Conditæque nuces virides juglandis, amara
Intyba, Gingidium, Seſelique, Cydonia mala,
Zinziber, Helenium, terrâ quod gaudet aquoſâ,
Et Pneumonanthe, Roſa candida, Punica poma,
Et Pſeudo-radix-dictamni, Denſque leonis,
Atque Myrobalanus Bellerica, dicta Triphylla
Oxys, lignum Aloes, & Capſica rubra, Galanga,
Maſſico & infuſus lectus Jovis arbore muſcus,
Capparides, Chinæ radix, & Scordia melli
Miſta placent, nomen cui dat Parnaſſia rupes,
Graminis & pulvis, Glycyrhiza, & ſemina dulcis
Fœniculi, Angelicæ radix, ſuccus foliorum

Et Pentaphylli, paſſæ Uvæ, atque Indica Nardus,
Et Ciſti in vino flores; ſubſtantia dura
Huic frutici eſt ligni, ſenos & in aëra apertum
Alta pedes ſtirps it, quam paſſim creber opacat
Ramulus, & foliis veſtitur, qualia fundit
Salvia, rugoſis; veniunt in vertice flores
Purpurei ſummo, ſylveſtris forma roſæque eſt,
Sunt petala atque obducta plicis, illis brevis ætas
Et decor; in medio nam cùm ſol fulget Olympo,
Manè novo jam qui vultu riſere ſereno,
Squalentes pereunt, ſimilique obnoxia fato
Succedit nova progenies, redeuntque viciſſim
Ortuſque atque obitus, nec deſinit ordo, priuſquam
Noctis libra die æquales extenderit umbras,
Semina jam rubrum ducunt matura colorem
Hirſutis clauſa in ſiliquis; Etruria nutrit,
Et regio vicina Pado, vicina Garumnæ,
Et Rhodano, invitus nec terris venit Iberis,
Quas Tagus auriferis commendat dives arenis:
Capreolique juvant vitis, ferrugine tinctæ
Et Violæ, Ceraſa & quæ nigro infecta colore,
Pavame Indorum, triſti Cichoreaque ſucco,
Parthenium, radix Bardanæ, Medica mala,
Balſama, Cubebæ, Raphanus, mordenſque Sinapi,
Caucalis, & Rutæ ſucci, redolenſque Meliſſa,
Et Chærophyllon, Podagraria, dicta Gerardi
Herba, Chamæmelum, bene olentia Cardamoma,
Guaiacum, Carum, peregrinaque Tamalapatra,
Hormina in campis creſcentia, & Elaphoboſcon,
Quodque Hippo-vulgò Græci dixere-ſelinon,

Beto-

Betonica, Origanum, Serpylla, Leviſtica, Barba
Hirci, vere novo lacrymas quas dat Sycomorus,
Atque Ceratoniæ fructus, denſiſſima ramis
Eſt arbor, folia huic ſunt fraxini & æmula, longæ
Æquavere pedem ſiliquæ, feliciter agris
Hæc venit Hiſpanis, Apuliſque frequenter in oris.
Ventriculo imbelli collecti ex arbore Judæ
Profuerint flores, acri qui infuſi in aceto,
Sylveſtrem ſiliquam quidam dixere, puſillæ
Arboris in morem creſcit, ſubnigraque veſtit
Cortex, hinc veniunt virgultaque lenta, coloris
Quæ ferruginei, folia his viruere rotunda,
Æqua Cyclamini, crebris diſtinctaque venis;
Exigui hæc inter flores oriuntur, amœnis
Floribus & piſi ſimiles, hos purpura tingit
Intermiſta oſtro, ſenſim labentibus illis
Compreſſæ & longæ ſiliquæ ſubiere, coloris
Quæ crocei, includunt & ſemina parva figuræ
Planæ, & quæ renis formam ſimulare videntur;
Mole tumens terram ingreditur præduraque radix;
Monte frequens Libano eſt, peperere & proxima Romæ
Quæ juga, fert paſſim hanc & nubifer Apenninus,
Monſpeliumque, venit terris & ſæpe in Iberis
Multa inter ſepes, denſis locaque obſita dumis:
Utilis atque Indis Bangue ſat cognita Eöis,
Cannabi huïc caulis quadrati, ductile præbet
Et ſtamen cortex, pallenti infecta colore
Sunt folia, & ſerrata, viret pars prona, ſupina
Glaucaque candeſcit, ſicco inſipidoque ſapore
Prædita ſunt, parvum ſemen glomeratur in orbem,
Cannabis & ſemen ſimulat, ſed mole minore eſt.

VERRUCÆ.

VERRUCÆ.

VERRUCAS tollunt fœdas, mas Mercurialis,
Fœminaque, & fœtens Galeopſis, lympha cavernis
Populeis latitans, ſpiniſque armatus acutis
Dipſacus, hunc Labrum Veneris dixere Latini,
Lacteus & ſuccus Tithymalli inſperſus amari,
Lutea Chrondrilla, & cui Verrucaria nomen,
Matthiolus, Galli & vulgò dixere Zacyntham,
Fortè quia hanc peperit cognato nomine dicta
Inſula, in Ionio ſita quæ eſt nemoroſa profundo;
Semina ſi lunâ jam decreſcente bibantur
Contuſa in vino, lactucæ aut more vorata,
Quæ folia emittit; bulbo Ranunculus albo,
Et Clinopodium origani conforme figuræ,
Verbaſcumque nigrum, tribuit cui Salvia nomen;
Naſcitur in pratis Taurini, ubi ſcrupea terra,
Helvetiiſque oris, Gallis & plurima terris
Copia, purpureo lanas tingenſque colore
Quodque Heliotropium Græci dixere tricoccum,
Cum ſale commiſtum, folium huic glomeratur in orbem,
Granaque, quæ tria ſunt cellâ concluſa ſub unâ,
Monſpelii venit, & ſteriles ubi glarea campos
Emaciat jejuna; juvat ſuccuſque crematâ
Exudat qui vite frequens, & ſpumeus humor,
Argema luminibus tollens ſylveſtre Papaver,
Et Ficus, craſſum quod dant Anacardia olivum.

VERTIGO.

HIC Tiliæ florum latices, & Primula veris
Conducunt, Jovis & qui creſcit in arbore viſcus,

Afficiens grato nareſque Armeria odore,
Et Caryophyllus, qui cunctis floribus unus
Præfertur meritò: flores Roriſque marini
Cœrulei, ſiccis viridiſque Lavendula terris,
Petroſoque ſolo gaudens; hanc Martia Narbo
Sponte alit, & celebri loca quæ ſunt proxima Varo;
Lymphaque ſerpillo flammis educta benignis,
Barbæ Hirci radix, oris quæ creſcit Iberis,
Inducens ſomnum vigilanti hortenſe Papaver,
Et Vitis virgulta nigræ lactentia, pinguis
Et Laricis fungus; qui candidus optimus, & qui
Eſt levis, & mollis, triſtiſque aptuſque friari,
Sit ſapor auſterus. proſunt flores Tanaceti,
Quæque colunt imas candentia Lilia valles,
Et Vitis radix albæ, Cuſcuta minorque,
Puleii prodeſt capitique impoſta corona,
Bellidis & latices attracti naribus, alba
Santala miſta roſis frontique admota, Pyrethrum,
Peucedanum, ſucco ſi tempora fota frequenter,
Auriculæ radix urſi, Colocynthis amara,
Carduus & dictus Benedictus, ſed nec ineptus
Tabaci ſuccus, foliis quod mille decorum
Et Chiliophyllon, nuſquam non obvia planta eſt.

ULCERA CANCROSA.

LAUREOLÆ pulvis juvat hìc infuſus aceto,
Ulceri & inſperſus; cubitum vix ſurgit in altum
Palleſcens caulis, non illi ramulus ullus
Emergit nudo, ſemperque virentia ſummis
Sunt virgis folia; umbellam denſantur in unam,

Oblongoque tubo excluſus flos herbidus exit,
Expanſus quatuor vulgò in ſegmenta, nigreſcunt
Maturæ baccæ, parvum & curvantur in ovum,
Contentæque uno ſunt duro ſemine, ſylvis
Naſcitur umbroſis, Anglis non hoſpes in oris,
Ardenti fauces guſtata exaſperat æſtu;
Lutea diſpliceant tibi nec quæ Gallia apricis
Orta locis, ſegeteſque inter creſcens Elatine;
Huic pingue eſt folium, craſſum, formâque rotundum,
Ni tenuis prohiberet apex, flos aureus olli,
Eſt caudâque ferox, rictuque tremendus aperto.
Prunellæ & ſuccus conduxerit, æmula odoræ
Sunt folia huic menthæ, tractanti atque aſpera dextræ,
Flos modò purpureo, niveo modò candet amictu,
In galeæ morem patulo diſſectus hiatu,
Squamiſque incluſus, radix plantaginis inſtar
Barbata eſt, ſedes tumuli, colleſque ſupini;
Profuit Acacia &, ſpinis quæ horreſcit acutis,
Trifolia; huic folia & rutæ non multùm aliena,
Semina ſunt lentis, ſiliquâ clauduntur in unâ
Quatuor, autumno fructus producitur, illi
Auſterus ſapor eſt, auro ſiliquæque coruſcant,
Cappadoces novere illam, Cadmæaque Thebe.
Nec minor eſt oleo Buxi vis indita pingui,
Cuſcutæque, Thymi redolentis robore fultæ.
Profuerint folia & Palmæ, conique Cupreſſi,
Sylveſtris cortex Pini, lacrymæ Lariciſque,
Albentes viſci baccæ cum thure Sabæo,
Plantago, majuſque Sedum, Violæ tricolores,
Expreſſumque uvis vinum, Glycyrhiza, Sophia

Et Chirurgorum, quæ dicta Chamæpitys herba,
Sanguineo ſplendore rubent quæ Lilia, Cretæ
Smyrnia, & Ariſaron: non ari aliena figura eſt;
Atque Italis venit in terris: Monophyllon & umbris
Obſcuris nemorum gaudens, in luminis oras
Cùm primùm exoritur, folio non ampliùs uno
Veſtitur caulis, hederæ vix diſpare formâ,
Alterum & accedit, cùm venit fortior ætas,
Congeſti in ſpicam ſunt ſummo in vertice flores
Qui tetrapetali, lapſis baccæque rubentes
Succedunt, latè ſerpit fibrataque radix,
Hoc in Dinglæâ nutrit Lancaſtria ſylvâ.
Juvit & Helenii radix contuſa tenaci
Cum melle, & Glaſtum, Veneri dilectaque Myrtus,
Argema luminibus tollens ſylveſtre Papaver,
Herbaque, quæ centum morbis eſt nota medendis,
Cuique ſuum à tuſſi nomen poſuere Latini,
Barbareæ ſucci triſtes, & Amygdala amara,
Lens minor, & major, terris Aloeque marinis
Orta, ſub ardenti folia atque excocta favillâ
Marrubii nigri, radix & Ariſtolochiæ,
Quique Orobus ſterili ſurgit tellure libenter,
Fœcundis inimicus agris, miſtumque liquenti
Marrubium melli, maculis radixque Dracontî
Aſperſi nigris colubri de more, & Arara
Caianæ, Herculea atque Panax, Agrimonia odora,
Carduus & meritò dictus Benedictus, aquaſque
Betonica affectans & blandi garrula rivi
Murmura, Tabaci folia & contuſa, virentis
Et Roſci Ciſti flores, pulvis Petaſitæ,

Verbena in ſacris & multùm culta Latinis,
Aſphodeli in vini decoctæ fæce potentis
Radices, plagis Sanicula odora medendis
Utilis, Hypericon, quæ ſemina dat Libanotis,
Et folia Alſines, Platani cortexque cremata.
Profuerint Pyrolæ folia & contuſa virentis
In mediis nivibus brumali ſidere, parvis
More pyri foliis ornatur, candida florum
Eſt facies, vallis nec vincunt lilia odore,
Ex fibris conſtat radix, ſeque undique ſpargit;
Palladii & latices proſunt vivacis olivæ,
Atque Chinæ radix, ſicci pulviſque Cyperi,
Et croceo pinguis rutilans Ficaria flore;
Scordia nata locis udis, triſtes Orobanche
Eliciti latices, tritæ pulviſque Sabinæ,
Et Potamogeiton folio plantaginis, omni
Innatat hoc ſtagno, ſpicato flore ſuperbum
Biſtortæ in morem, ſucci expreſſique Anemone,
Et Ficûs ſuccus, Centaurea amara, rubenſque
Anchuſæ radix Latiis bene nota puellis,
Fœmineæ pulvis filicis, fœtenſque Thalictrum,
Juniperi gummi, folio Sambucus olenti,
Et Chiliophyllon fulvo quod concolor auro,
Creditur hôc uſum ſanâſſe & vulnera Achillem.
Triticeum prodeſt oleum, folia atque nigrantis
Cocta Hederæ in vino, tepidis quæ toſta favillis,
Atque Ornithogali radix; ſunt plurima craſſa,
Et folia anguſta huic, multúmque virentia, longa
It ſtria per medium niveo ſignata colore,
Sunt nudi hæc inter caules, in vertice ſummo

Candentes veniunt flores, senis petalis qui
Constant, aversam distinguit linea partem
Atque frequens viridis, niveo candore refulget
Altera, cùm salsis Phœbus caput extulit undis
Eous, toto sese explicuere nitore,
Hesperium sed cùm lassus descendit in æquor,
Et Thetidis petit amplexus, mœrore serenos
Confecti ponunt vultus, sopor & venit ægris;
Lapsis succedunt siliquis inclusa trigonis
Semina, bulbosæ radici candida forma est,
Germanis, Flandrisque frequens innascitur oris,
Cui croceus flos est, Lobelius inter opimas
Invenit segetes, tepidas Bathonica thermas
Quà dedit, haud aliàs Anglis reperitur in oris.
Albus Hyoscyamus juvit, tristisque Lupinus,
Et Pentaphylli radix infusa in aceto,
Geranium gaudens Roberti nomine, in udis
Phthirion & crescens pratis, Ficaria nigro
Urticæ folio, flore & galeæ instar hianti.
Fructibus expressus, quos fert & Opuntia, succus
Utilis; ex foliis planta hæc constare videtur,
Nulli in eâ rami, nec truncus cernitur ullus,
Nam folium terræ commissum protinus actâ
Radice ex se aliud producit, fertile & illud
Atque aliud peperit, nec desinit ordo, priusquam
Formetur foliis sibi succedentibus arbor,
Brachiaque expandat latè foliacea in auras,
Longa & lata patent folia hæc, est pollicis illis
Crassities, saturoque virent infecta colore,
Crebrisque horrescunt spinis, fastigia summa

Flaven-

Flaventeſque tenent flores, qui non alieni
Illis, ubertim quos fundit Punica malus,
Succedit ficu non diſpar fructus, & illi
Eſt viror egregius, tangentûm ſanguine dextras
Tingit pulpa rubens mori inſtar, ſquamea ſummum
Circundant folia atque apicem, quæ ſemina parva
Includunt; hæc ſi terræ mandata feraci,
Producunt teretes plantas, queis ſurgit in auras
Arboribus reliquis truncus ſimilis; peperere
Virginia, & Zante oceano pulſata, & eoi
Heſperiique ferunt tractus, & barbara tellus,
Hinc & in Europæ nitidos traducitur hortos,
Nonnunquam Auſoniis fœtus dat, ſæpius oris
Hiſpanis, negat aſt terris averſa Britannis,
Impenſuſque perit labor omnis, frigida cœli
Obſtat temperies, violenti & flumina cauri.

VOMITUM SISTENTIA.

COMPESCUNT vomitum Vaccinia cuncta, rubuſque
Idæus, Menthæ latices quos exprimit ignis,
Quemque ſalem præbent Abſinthia triſtia, ſucci,
Citrea ſufficiunt quos flaveſcentia Mala,
Polygona & centum nodis diſtincta, & odori
Puniceæ flores Mali, Balauſtia dicta,
Cinnama, Moſchatæque nuces, Roſa rubra, & Aniſi
Semina, Puleio latices non ſponte fluentes,
Nec niſi Vulcani auxilio; Corallia & imo
Quæ collecta mari, foliis notiſſima ſeptem
Tormentilla, udis quærenti atque obvia pratis,
Oxalis innumeris onerataque caulibus, unâ

E ra-

E radice ortis, folia huic referentia cordis
Effigiem, pungens gratiſſimus eſt ſapor ore,
Flos quinque ex petalis conſtat, color omnibus idem
Non eſt, nunc candet, nunc multo fulget ab oſtro,
Lutea nunc fulvo facies flaveſcit ab auro,
Eſt radix ſquamata, umbris ſylvis & opacis
Gaudet, amatque cavo floreſcere in arboris alveo;
Cùm ſol ingreſſus taurum per inane furentes
Flectit equos, jam tum flores expandit apertos.
Juvere & multùm quæ cocta Cydonia mala,
Atque Myrobalanus, quæ dicitur Emblica, Anethum;
Dactylus à digiti, quam format, imagine dictus,
Ubertim veniens in Chaonis arbore Muſcus,
Lentiſci gummi, quod manſum ſæpius ore,
Vitis Capreoli virides, atque Indica Nardus,
Biſtortæ in vino radix decocta, oleumque
Idaliæ Myrti, cui miſta eſt fæcula Coa,
Admotum ſtomacho; ſuccus Plantaginis, acres
Et Sorbi baccæ, Coriandri grana rotunda,
Semina Fœniculi, Cari & bene olentis, Arecæ
Et fructus ſucci, Origanum, Zedoaria odora,
Parnaſſi gramen, ſtomachoque admota dolenti
Fraxinea & folia, & cortex, quæ cocta in aceto,
Pavame Indorum, qui creſcit in arbore Lichen,
Queiſque uvis nomen poſuit celebrata Corinthus.

URINÆ ARDOR vel ACRIMONIA.

URINÆ ardorem mollis tibi lenit Hibiſcus,
Althæam paſſim bene notâ voce Pelaſgi
Hunc dixere; juvant ventri Malvæque ſalubres,

Et

Et radix dulcis, Glycyrhiza vocatur Achivis,
Portulaca hortis ferè & omnibus obvia, veſcus
Cyperus, longum huic folium, mucroneque acuto,
Nonnunquam excedit cubitum radix polygona,
Spicati pendent rufique in vertice flores,
Diſpoſiti in morem ſtellæ, illos parvula inumbrant
Occultos folia, radix huic plurima terrâ
Preſſa latet, ſparſi densè ſunt undique bulbi
In pilulæ formam, dulciſque & candida pulpa,
Caſtaneæ eſt & in ore ſapor; natalibus olim
Hunc nutrit magni inſignis Verona Catulli.
Seſſilis & ſemen Lactucæ profuit, atque
Pes Leporis, (docti dixere Lagopoda Græci ;)
Naſcitur hìc inter ſegetes, ubi glarea terras
Macra operit, cumuli & ſurgunt malè pinguis arenæ.
Sebeſtena adſint & Pruna domeſtica, nitrum
Berberis infuſum ſuccis, hortenſe nigranti
Solanum baccâ, folio Argentina micanti
Conſpicua, incautos quæ forsan fallat ocellos,
Vulgariſque Rubi fructus, nux Pontica, Avella
Cuique dedit nomen, (Campanis finibus urbs eſt,)
Horrentis baccæ Ruſci; ſunt æmula myrti
Huic Paphiæ folia, & ferri referentia formam
Laureolæ, aſparagi in morem virgultaque ſurgunt,
E mediis veniunt foliis & ſemina rubra
Matura, oſſiculum durum eſt, ramique virentes,
Æſtatis nulla aut hyemis diſcrimina norunt,
Graminis eſt radix, guſtantis & acris in ore.
Contulit & radix Nymphææ, candidus eſt flos,
Et patulum tardas folium ſuperinnatat undas;

Atque Alkakengi baccæ juvere rubentes,
Et lentis folio Anthyllis, quæ dicta marina,
Quos reddit dulcis latices & Amygdala pingues.
Profuit & læſæ gummi manans Tragacanthæ,
Sunt rami huic plures, latè virgulta tenella
Se circumcirca ſpargunt, ſunt æmula lentis
Et folia aut viciæ imbellis pinnata, & acutis
Undique munitur ſpinis, queis candida vulgò
Eſt facies, flores ſimiles ſunt papilioni
Expanſis alis, albo eſt commiſta nitori
Purpura, & in renis ſubeunt glomerata figuram
Semina, ſunt ſiliquæ molles, in viſcera terræ
Tortilis ingreditur radix, cui lutea pulpa eſt,
Sit licèt atra cutis; Jovis incunabula jactans
Creta alit hanc ſummis in montibus, Arcadis illa
Nec ſoboles eſt rara ſoli, nec fertilis agros
Reſpuerit pingues Aſiæ, nec Achaïca regna,
Tantalidæ Pelopis nutritque hanc inſula, & arva
Maſſiliæ tulerunt fluctu pulſata marino.
Lens quoque profuerit multùm, quæ dicta marina,
Huic plures lenti caules, naſcuntur & indè
Multiplices ramique breves, folia æmula & ollis,
Quæ à ſcopis nomen ducens Linaria fundit,
Dicta Oſyris Græcis, hæc inter plurima inanis
Concava bacca venit, lentiſque ſimillima mole,
Et facie, hinc nomen; medium qui circuit orbem,
Ubertim Oceanus parit, atque agitata procellis
Adria alit ſævis: ſpecies eſt altera, ſolo
Hôc diſtans, folium quòd ſit majus, breviuſque,
Extremaſque frequens quòd crena perambulet oras.

VULNE-

VULNERARIA.

EN tibi vulneribus quæ ſunt ſatìs apta medendis;
Aſcyrum amans fluvios nimiùm, craſſaſque paludes,
Cognatum Hypericon, Androſæmumque terentûm
Sanguine commaculans dextras, & Bugula flore
Cœruleo arridens, Centaurea amara, Chamædrys,
Phœniceo ſplendens Anagallis maſcula flore,
Alchimilla plicis crebris rugata, Leonis
Nonnulli dixere pedem; Plantago minorque;
Quæ tumet in denſum Lunaria, ut uva, racemum,
Aptè hinc Bauhino eſt hæc plantula dicta Botrytis;
Quæque venit ſiccis foſſarum Agrimonia in oris
Plurima, Fœniculum, Cruciata, Cicuta, Equiſetum,
Argentum referens atque Argentina, minorque
Et major Bellis, Chirurgorumque Sophia,
Tormentilla; juvant Lamium, Diapenſia agreſtis,
Salvia, Telephium, Veronica, Lilia vallis,
Scordia, Prunella, & Serratula, Geraniumque
Roſtratum, denſis foliis Phyllitis abundans,
Glaſtaque cœruleis olim bene nota Britannis,
Pinguicula & craſſas inter non rara paludes,
Pimpinella minor cretoſis montibus orta,
Juglandiſque nucis referens guſtata ſaporem,
Et major pratis gaudens humentibus, illis
Non eadem eſt facies, ſed nec diverſa, ſorores
Credideris; muris Helxine & nata, Avicennæ
Herba Eupatorium, rivos amat illa fluentes;
Peucedanum in ripis Thameſis quod creſcit, odora
Quæ ſegetes inter medias venit & Melilotus,

Campana hæc priſcis eſt Sertula dicta Latinis,
Verbena & magicis Druidum celeberrima ſacris,
Herbaque, cui nomen dedit Artemis Ilithyia,
Tota Bona, linguamque canis referens Cynogloſſon,
Symphyta mucoſo majora & turgida ſucco,
Betonica, atque Hederæ ſuccus terreſtris, Achivi
Hanc dixere Chamæciſſon: juvat & Tanacetum;
Aurea virga ſolo ſterili, ſylviſque, jugiſque
Nata altis, divo quæque herba eſt ſacra Jacobo,
Atque Polygonaton, ſylveſtris Valeriana,
Perfoliata inter ſegetes, & pinguia culta
Rara tamen naſcens, foliis & mille decorum
Quod Chiliophyllon, nec diſpar ptarmicæ odore,
Et denſis hirſuta pilis Myoſotis, abundat
Collibus, & tumulis paſſim, flos aureus illi,
Auriculam muris foliumque imitatur, habetque
Hinc nomen, ſuccus Succiſæ, Pentaque-phyllon,
Atque Ophiogloſſon, ſerpentis Lingua Latinis
Dicitur; huic unum folium plantaginis inſtar
Inter aquas natæ craſſum, multò aſt minus illâ,
Ex imo foliique ſinu digitos duo longa
Lingua venit, limæ in morem ſulcata, tumetque
Seminibus parvis, radixque puſilla frequenti
Tellurem ingreditur fibrâ, tenuique capillo,
Humentique ſolo gaudet, pratis & amœnis,
Cùm ſol per geminos, Pollucem & Caſtora, fratres
Fumantes impellit equos in verbera pendens,
Ver agit ætatis, cancrique calore ſeneſcit
Effoeta; prodeſt minor & Dentaria, quinque
Eſt-folii folium, ſed majus, candida radix

Dente tumet crebro, terris viret illa Subaudis,
Sylvoſiſque jugis Juræ: prodeſtque coloni
Dicta Panax, Rubia & tinctoribus utilis, Ophrys
Orchidibus cognata, virent ſolummodo bina
Huic folia à variis nervis diviſa, vireſcunt
In fragili caule & flores, virideſque puellas
Et pueros ſimulant non fictâ in imagine nudos,
Eſt radix fibrata, venit ſylvis in opacis.
Et Biſtorta juvat, lapathi ſunt æmula adultæ
Huic folia, & pars prona viret, livetque ſupina,
Eſtque teres caulis, ſpicati in vertice flores,
Dilutéque rubent, radix eſt tortilis illi,
In colubri morem collectaque, carnea pulpa eſt,
Nigra tegit cortex, Anglis eſt plurima in oris.
Juverit atque udis quæ Centimorbia pratis
Naſcitur, & præbet quem Perſicaria ſuccum,
Græci Hydro-dixere-piper, ſapor aſper in ore.
Fulvus Hyoſcyamus, Fuſchi Stachys, atque Meliſſa,
Cardiaca & thalami cuſtodi ſacra Dianæ,
Tabacum, Latices quos Pulmonaria fundit
Aurea, ſanguineo quæ ſunt imbuta colore
Lilia; & herba Paris, Phrygius cui nomina Paſtor
Impoſuit; ſylvis gaudens Monophyllon opacis,
Balſaminæ expreſſumque oleum, gramenque Caninum,
Vere novo lacrymæ ſudantes & Sycomoro,
Soldanella maris naſcens in littore, Acuſque
Moſchata; folia huic ſunt, qualia ſplendida fundit
Argentina, tamen fuſci magìs illa coloris,
Incumbunt ſummoque ſolo diffuſa, zibethi
Eſt odor, in ſummo rubuerunt vertice flores,

Roſtra gruum ſiliquæ includunt ſemen referentes;
Briſtolium hoc gignunt ſaxoſa & paſcua Craven:
Quæ populo paſſim communia odora Triphylla,
Spergula & hìc proſunt, Plantago dicta marina,
Chironiſque Panax, elatis montibus orta;
Bugloſſæ radix, majoraque Centaurea,
Erigeri florum lanugo miſta & aceto,
Tripoliumque, agros urentis ſemina Lini,
Et Filicis radix, quæ Oſmunda vocata Gerardo,
Florentis; pulvis foliorum, Perſica malus
Quæ dat; Narciſſi radix candentis, amarus
Atque Chelidoniæ ſuccus majoris, aquiſque
Aizoides naſcens, & Saponaria, Cornus
Maſcula, Neptuni ſceptrum, Lyſimachia poma
Cocta, & olens major Fragaria, lutea dicta
Althæa Abutilon, paſtoris Burſa, Anagallis
Nata in aquis, Phrygiâ Dictamnum quod venit Idâ,
Et folia & cortex Ulmi, Malvæque ſalubres.
Juvere & Sorbi baccæ; ingens arboris hujus
Eſt moles, craſſi panduntur brachia trunci
Umbroſa & latè, folia his ſunt, qualia fundit
Fraxinus, & niveo flores velantur amictu,
Conferti densè, tandem pereuntibus illis
Succedunt baccæ, fuſcum ducuntque colorem,
Queis & forma pyri, nulli placuere palato,
Antè niſi in pulpam putredo invaſerit acrem;
Eſt alia & ſpecies, quæ non diverſa priori,
Torminibus nomen debens, quibus apta medendis,
Si folia huic vitis non eſſent lævia, ſolum
Eſt hoc diſcrimen, noſtris venit utraque in oris.

Quamque herbam à Mimo rectè dixere minores,
Prodeſt, admotâque brevi eſt coitura cicatrix
Vulneris inflicti; leviter ſi tacta videtur
Tangentis dextram fugere & tabeſcere fronde
Contractâ, læſi mœrere & damna pudoris,
Amotâque manu ſolitum rediviva nitorem
Sumere, & indutâ rurſus ridere juventâ;
Res mira! æthereas quinas it in aera palmas,
Nec proprio imbellis confidens robore, ſtricto
Amplexu involvit, quæ ſunt vicina; virent huic
Impensè caules graciles, perque intervalla
Sentibus armantur denſis, folia æmula Nili
Acaciæ accedunt, tenuis præduraque radix
Ingreditur terram, paucis donataque fibris;
Igneus ardenti cùm ſol decedit Olympo,
Et jam luciferos immerſit in æquore currus,
Flet totam triſtis noctem, & peritura dolore
Abſentem gemit; aſt nitidis cùm rurſus ab undis
Extulit os, rutilis rubuere & nubila flammis,
Lætanti Smilis ſqualore exuta priori
Obviam it, & raptum reparat renovata virorem;
Quò magìs & Phœbi calor ingruit, illa videtur
Pulchrior hôc, ignes & prono vertice adorat;
Educat hanc humens paſſim ſaxoſaque terra,
Viſitur Heſperiis, quà portus Dives, ab Indis.
Sed neque, quam Malabar nutrit, peregrina Negunda
Defuerit, plagis illâ nam nulla medendis
Planta viret melior, fuſcis ſat cognita ab Indis
Eſt virtus, tantâ petiturque libidine vulgi
Morborum omne genus contra, ſævoſque dolores,

Ut jam, ni vacuos raperent digeſta per agros
Radices virgulta, nova & plantaria paſſim
Damna reſarcirent, everſam funditus omnem
Aſpiceres ſtirpem, ſeri & ſua damna nepotes
Incaſſum flerent, tanti ſolaminis orbi.
Duplicis eſt ſexus, & Mas, & Fœmina; Mas quæ
Non Thaſiæ eſt aliena nuci, nec ſalviæ abhorret
A foliis, incana viret pars prona, ſupina
In glaucum vergit, ſerratum crenaque limbum
Crebra ſecat, frondis ſambuci more: rotundum
Populi habet folium, quæ Fœmina dicta, ſalubrem
Salviæ amarorem, diſtat multùm nec odore,
Cœrulei Rorem flores retulere marinum,
Zinziberis fructu ſapor eſt, piperi æmula moles.
Nec minor eſt plantæ (ſic dicitur) inſita Nimbo
Vis, Malabarici vulgò dixere Bepole;
Par orno eſt moles, & fallit imagine ſæpe
Viſa procul, folia huic ſummas crenata per oras
Parte utrâque virent, & acutâ cuſpide ſurgit
Attenuatus apex, flores velantur amictu
Exigui niveo, quinis conſtant petaliſque
Luteaque in medio ſunt ſtamina odore triphylli
Prædita odorati, lapſis ſuccedit olivæ
Affinis fructus, flaventi cortice tectus,
Triſtes guſtantis fauces torquebit amaror.

FINIS.

CATALOGUS PLANTARUM

Hic DESCRIPTARUM.

A.

B.

C.

F.

G.

H.

I.

JAcca	6729	*The Venereous-tree*
Jacobæa Marina	3774	*Sea Rag-wort*
Iberis Cardamantica	3855	*Sciatica Cresses*
Ilex Coccigera	801	*The scarlet Oak*
Indica	6279	*Indico*
Jobi Lacrymæ	2184	Job's *Tears*
Iris	6531	*Flower-de-luce*
Juncus Floridus	1800	*The flowering Rush*
Juncus Odoratus	5347	*The sweet smelling Rush*

K.

KAli	3366	*Glass-wort*
Keiri, *vid.* Violæ luteæ		*Wall-July-Flowers*
Kermes, *vid.* Chermes		*Scarlet Grain*

L.

LAburnum, *vide* Anagyris		*Bean-trefoil-tree*
Lacca	1969	*Gum Lack*
Lactuca sylv.	335	*Wild Lettuce*
Larix	3741	*The Larch-tree*
Laserpitium	2320	*Laserwort*
Laurus Tinus	6399	*The wild Bay-tree*
Laureola	6942	*Spurge Laurel*
Lentiscus	6757	*The Mastick-tree*
Lens Marina	121	*Sea Lentils*
Leontopetalon	3841	*Lion's Leaf*
Lepidium	975	*Pepper-wort*
Libanotis	3083	*Herb Frankincense*
Lichen Arborum	2648	*Tree Lung-wort*
Lichen Marinus	2893	*Sea Lung-wort, Oyster-green*
Lichen Marinus alter	2900	*Round leav'd Oyster-weed*
Lignum Aloes	760	*Lignaloes*
Lignum Nephriticum	1410	*Nephritick-wood*
Limonium	1443	*Sea Lavender*
Limonium alterum	1448	*Another Sea Lavender*
Lithospermon	1906	*Gromill*
Lotus Arbor	6782	*The Nettle-tree*
Lunaria minor	2766	*The lesser Moon-wort*
Lupinus	4211	*Lupines*
Lycopodium	4070	*Club-Moss*
Lycium	101	*Box-Thorn*

M.

N.

O.

P.

Pyrola

Pyrola	℣. 1739, 7013	*Winter-green*

R.

RAdix Rhodia	1064	*Roſe-wort, Roſe-root*
Rapuntium	2829	*Rampions*
Reſida Plinii	1948	*Baſe Rocket*
Rhamnus Cluſii	549	*Hart's Thorn*
Rha Ponticum	5960	*Rubarb*
Rhododaphne	1020	*Roſe-Bay*
Rhododendron	1020	*Roſe-Bay*
Rhus Coriaria	3095	*Sumach*
Rhus altera	3107	*Another kind of it*
Ricinus	1461	*Palma Chriſti*
Rubia	3072	*Madder*
Rubia Synanchica	345	*Squinancy-wort*
Ruſcus	7144	*Butcher's Broom*

S.

SAlvia vitæ, *vid.* Adiantum alb.		*Wall Rue*
Sambucus Aquatica	2226	*Water Elder*
Sanamunda	5575	*Heath-Spurge*
Santala	825	*Sanders*
Santonica	4317	*Sea Wormwood*
Saponaria concava	2726	*Hollow Sope-wort*
Saponaria	2713, 6068	*Sope-wort*
Saxifraga alba	2119, 5337	*White Saxifrage*
Scammonia	1215	*Scammony*
Schœnanthum	1544	*Camel's Hay*
Scilla	450	Squill's, *Sea Onion*
Scrophularia rubra		*Red Figwort*
Scrophularia lutea	5920	*Yellow Fig-wort*
Sebeſtena	6557	Aſſyrian *Plumbs*
Sementina	4316	*Sea Worm-wood*
Sena Itala	3187	Italian *Sena*
Seriphium	4314	*Sea Worm-wood.*
Serpentis Lingua	278	*Adder's Tongue*
Serpentaria Virginiana	857	Virginia *Snake-root*
Seſamum	271	*Oily purging Grain*
Seſeli Æthiopicum	459	Æthiopian *Hart-wort*
Seſeli Creticum	2311	*Candy Hart-wort*
Seſeli Peloponenſe	478	*Hart-wort of* Peloponneſus
Siler Montanum	2558	*Baſtard Lovage*
Siliqua Arbor, *vid.* Ceratonia		*The Carob-tree*
Smilax Aſpera	5897	*Prickly Bind-weed*
Smyrnium	5691	*Alexanders*

Smyrnium Creticum	ẏ. 2580	*Candy Alexanders*
Solanum Lethale	3546	*Deadly Night-ſhade*
Solanum Somniferum	3482	*Sleepy Night-ſhade*
Solidago Saracenica	3702	*Saracen's conſound*
Sorbus	7289	*The Service-tree*
Spatula fœtida, *vid.* Xyris		*Stinking Gladden*
Stachys	3647	*Baſe Horehound*
Staphylodendron	6776	*Bladder Nut-tree*
Staphys Agria	2240	*Staves-acre, Louſe-wort*
Stœbe Argentea	4957	*Silver Knap-weed*
Stœchas Arabica	471	*Caſſidony, Sticadove*
Stœchas Citrina	1209	*Yellow Caſſidony*
Stramonia	283	*Thorn Apple*
Stratiotes Militaris	2381	*Freſh-water Soldier*
Styrax	6563	*The Storax-tree*
Suber	3039	*The Cork-tree*
Sumach	3094	*Sumach*
Sycomorus	2698	*The Sycomore-tree*
Syringa alba	1603	*The white Pipe-tree*

T.

TAmalapatra	4890	*The* Indian *Leaf*
Tamarindus	2417	*The Tamarind-tree*
Tamariſcus, *vid.* Myrica		*Tamarisk-tree*
Terebinthus	6426	*The Turpentine-tree*
Thapſia	6467	*Scorching Fennel*
Thea	1099	*Tea*
Thurifera Arbor	2815	*The Frankincenſe-tree*
Thuya, *vid.* Arbor-vitæ		*Tree of Life*
Thymelæa	3398	*Spurge-Olive*
Thymelæa Marina Tartonraire	4374	*Sea Spurge-Olive*
Tragacantha	7156	*Goat's-Thorn*
Tragoriganum	1172	*Goat's Marjerome*
Tribulus Aquaticus	2794	*Water Caltrops*
Tribulus Terreſtris	4133	*Land Caltrops*
Trichomanes, *vid.* Adiantum nig.		*Black Maiden-hair*
Trifolium fruticans	1995	*Shrub Trefoil*
Trifolium odoratum	3248	*Sweet Trefoil*
Trifolium paludoſum	515	*Marſh Trefoil*
Tripolium	2865	*Sea Star-wort*
Tubera Terræ	6661	*Truffles*
Turbith	3414	*Turbith*

U. & V.

X.

Z.

INDEX PLANTARUM

Non Descriptarum.

A.

Abies	*The Firr-tree*
Abrotanum	*Sothern-wood*
Abſinthium	*Worm-wood*
Acanthium	*Cotton-thiſtle*
Acanthus	*Bear's-breech*
Acer	*The Maple-tree*
Acer majus	*The Sycamore-tree*
Aconitum	*Wolfs Bane*
Acorus	*Sweet Flag*
Actæa	*Herb Chriſtopher*
Agaricum	*Agarick*
Ageratum	*Maudelin Tanſy*
Agnus Caſtus	*The Chaſt-tree*
Agrifolium	*Holly*
Agrimonia	*Agrimony*
Aizoon	*Sea-green*
Alcea	*Vervain-Mallow*
Alcea Veneta	*The Hour-Mallow*
Alchimilla	*Ladies Mantle*
Alectorolophos	*Cox's-comb*
Alga	*Sea-wrack*
Alliaria	*Jack by the Hedge*
Allium	*Garlick*
Alnus	*The Alder-tree*
Alſine	*Chick-weed*
Althæa	*Marſh-mallow*
Amaracus	*Marjerome*
Anagallis	*Pimpernell*
Androſemum	*Tutſan*
Anemone	*Anemony*
Anethum	*Dill*
Aniſum	*Aniſe*
Angelica	*Angelica*
Anguria	*Water-Melon*
Anonis	*Reſt-harrow*
Anthyllis legum	*Ladies Finger*
Antirrhinum	*Snap-Dragon*
Aparine	*Gooſe-graſſe*
Apium	*Parſly*
Apocynum	*Dog's Bane*
Aquilegia	*Columbines*
Arbor Judæ	Judas's *Tree*
Argemone	*Rough-Poppy*
Argentina	*Silver-weed*
Aria Theoph.	*White Beam-tree*
Ariſarum	*Frier's Cowl*
Armeria	*Sweet-Williams*
Artemiſia	*Mug-wort*
Arum	*Wake Robin*
Arundo	*Reed*
Aſcyron	*S.* Peter's *Wort*
Aſpalathus	*Boxthorn*
Aſparagus	*Sparagus*
Aſperula	*Wood-roof*

Aſpho-

6

INDEX PLANTARUM.

Aſphodelus	*King's Spear*
Aſter	*Star-wort*
Aſtrantia	*Maſter-wort*
Atractylis	*Diſtaff-Thiſtle*
Atriplex	*Orrach*
Avellana	*The Haſel-tree*
Avena	*Oats*
Aurantia malus	*The Orange-tree*
Auricula Judæ	Jew's-*Ear*
Auricula Muris	*Mouſe-Ear*
Auricula Urſi	*Bear's-Ear*

B.

BArbarea	*Winter-creſſe*
Bardana	*Bur-dock*
Beccabunga	*Brook-Lime*
Behen album	*Spatling-poppy*
Behen rubrum	*Catch-fly*
Bella Donna	*Dwale*
Bellis	*Daiſy*
Berberis	*Barberries.*
Beta	*Beet*
Betonica	*Betony*
Betula	*Birch-tree*
Bifolium	*Tway-blade*
Biſlingua	*Horſe-tongue*
Biſmalva	*Marſh-mallow*
Biſtorta	*Snake-weed*
Blattaria	*Moth-Mullein*
Blitum	*Blites*
Bolbonach	*Sattin*
Bonus Henricus	Engliſh *Mercury*
Borago	*Borrage*
Braſſica	*Cabbage*
Bryonia alba	*White Bryony*
Bryonia nigra	*Black Bryony*
Brunella	*Self-heal*
Bugloſſum	*Bugloſſe*
Bulbocaſtanum	*Earth-nut*
Burſa paſtoris	*Shepherd's Purſe*
Buxus	*The Box-tree.*

C.

CAcao	*The Cacao-nut-tree*
Calamintha	*Calamint*
Calamus Aromat.	*Sweet Flag*
Calendula	*Marigold*
Caltha	*Marigold*
Campanula	*Bell-flower*
Cannabis	*Hemp*
Capill. Vener. Verus	*True-Maidenhair*
Capparis	*Capers*
Caprifolium	*Honey-Suckle*
Cardamine	*Lady-ſmock*
Cardiaca	*Mother-wort*
Carduus	*Thiſtle*
Caryophyllata	*Avens*
Caryophyllus	*July-flowers*
Carlina	*Carline-thiſtle*
Carpinus	*Horn-beam*
Carthamus	*Baſtard-Saffron*
Caſia	*Lavender*
Caſtanea	*Cheſnut-tree*
Catanance	*Crimſon-graſs Vetch*
Cataputia	*Spurge*
Caucalis	*Hedge Parſly*
Centaurium	*Centory*
Cepa	*Onion*
Ceraſus	*Cherry-tree*
Ceterach	*Spleen-wort*
Chærophyllon	*Chervill*
Chamæcypariſſus	*Lavend-Cotton*
Chamæciſtus	*Holy Roſe*
Chamædaphne	*Spurge-Laurell*
Chamædrys	*Germander*
Chamæmelum	*Camomile*
Chamæpitys	*Ground-Pine*
Chamæciſſus	*Ground-Ivy*
Chelidonium majus	*Celandine*
Cheldonium minus	*Pilewort*
Chryſanthemum	*Corn-Marigold*
Chriſtophoriana	*Herb* Chriſtopher
Cyanus	*Blew-bottles*
Cicer	*Chick-peaſe*
Cichorium	*Succory*
Cicuta	*Hemlock*
Cinara	*Artichoke*
Cynorrhodos	*Dog's Roſe*
Circæa lutetium	*Enchant. Nightſhade*
Coronopus	*Buckthorn Plan*
Coronopus Ruel.	*Swine-creſſe*
Circium	Melanc. *Thiſtle*

Clematis

Clematis Daphnoid.	*Periwinkle*
Clinopodium	*Stone-Baſil*
Cnicus	*Baſtard Saffron*
Cochlearia	*Scurvy-graſs*
Colchicum	*Meadow-Saffron*
Colocaſia	Ægyptian *Arum*
Colutea	*Baſtard Senna*
Conſolida ma.	*Comfrey*
Conſolida media	*Bugle*
Conſolida min.	*Daiſy*
Conſolida reg.	*Lark's-Spur*
Convolvulus nig.	*Black-bindweed*
Convolvulus	*Bindweed*
Conyza	*Flea-Bane*
Coriandrum	*Coriander*
Corylus	*Haſel-nut-tree*
Cornus fœmina	*Dog-berry-tree*
Corona imperia.	*Crown Imperial*
Coſtus hort.	*Coſt-mary*
Cotyledon	*Navel-wort*
Cotula	*May-weed*
Cracca	*Strangle-Tare*
Craſſuta	*Orpine*
Cratæogonon	*Eye-bright, Cow-wheat*
Criſta Galli	*Yellow Rattle*
Cruciata	*Croſs-wort*
Cucumis	*Cucumber*
Cucurbita	*Gourd*
Cynocrambe	*Dog's Mercury*
Cynogloſſum	*Hound's Tongue*
Cynoſorchis	*Dog's Stones.*

D.

Daucus	*Wild-carrot*
Delphinium	*Lark's Spur*
Dens Leonis	*Dandelion*
Digitalis	*Foxglove*
Dipſacus	*Teaſell*
Dracunculus	*Tarragon.*
Dracontium	*Dragons*
Dryopteris	*Oak-fern.*
Dulcamara	*Bitter-Sweet*

E.

Ebulus	*Dwarf-Elder*
Echium	*Viper's Bugloſſe*
Eleagnus Cordi	*Gale*
Elaphoboſcum	*Wild Parſnip*
Eleoſelinum	*Smallage*
Endivia	*Endive*
Enula Campana	*Elecampane*
Epithymum	*Dodder of Thyme*
Equiſetum	*Horſe-tail*
Eranthemum	Adonis *Flower*
Erica	*Heath*
Erica Baccifera	*Berry-bearing Heath*
Erigeron	*Groundſell*
Eryſimum	*Hedge-Muſtard*
Erythrodanum	*Madder*
Eruca	*Rocket*
Ervum	*Bitter Vetch*
Eſula	*Spurge*
Eupatorium	*Agrimony*
Eupatorium Avicennæ	Dutch *Agrimony*
Eupatorium Meſuæ	*Maudelin Tanſy*
Eupatorium Cannabinum	*Hemp Agrimony*
Euphraſia	*Eye-bright*
Euphraſia ſecunda Dodonæi	Dodonæus's *Eye-bright.*

F.

Faba	*A Bean*
Fagus	*The Beach-tree*
Fegopyrum	*Buck-Wheat*
Ficus	*The Fig-tree*
Filix	*Fern, Brakes*
Flos Africanus	Afric. *Marigold*
Flos Conſtantinopolitanus	*Flower of* Conſtantinople
Flos Cuculi	*Cuckow Flower*
Flos Solis	*The Sun-Flower*
Fœniculum	*Fennel*
Fragaria	*Strawberry*
Frangula	*Black-Alder*
Fraxinus	*The Aſh-tree*
Frumentum Ind.	Turkey *Wheat*
Fucus	*Alkanet*
Fucus Marin.	*Sea-Wrack*
Fumaria	*Fumitory*
Fungus	*Muſhrome.*

G. Gale-

Q.

R.

S.

Salix	*Willow*
Salix latifolia	*Sallow*
Salvia	*Sage*
Salvia vitæ	*Wall-Rue*
Sambucus	*Elder*
Sambucus aqu.	*Water Elder*
Sampſucus	*Marjerome*
Sanguiſorba	*Burnet*
Sanicula	*Sanicle*
Sanicula Alpina	*Bear's-Ears*
Saſſifica Ital.	*Saſſify*
Satyrium	*Satyrion*
Satureia	*Savory*
Saxifraga Aug.	*Meadow-Saxifrage*
Saxifraga alba	*White Saxifrage*
Saxifraga aurea	*Golden Saxifrage*
Scabioſa	*Scabions*
Scandix	*Shepherd's Needle*
Scirpus	*A Ruſh*
Scolymus	*Artichoke*
Scolopendria	*Spleen-wort*
Scordium	*Water Germander*
Scorodonia	*Wood-Sage*
Salvia agreſtis	*The ſame*
Salvia Boſci	*The ſame*
Scorzonera	*Viper's Graſs*
Secale	*Rye*
Securidaca	*Hatchet Vetch*
Sedum	*Houſe Leek*
Sedum arboreſcens	*Tree-Houſe-Leek*
Selinum	*Parſly*
Sempervivum	*Houſe-Leek*
Senecio	*Ground-ſel*
Serpillum	*Wild Thyme*
Serratula	*Saw-wort*
Seſeli	*Hart-wort*
Siciliana	*Tutſan*
Sycomorus	*Sycomore-tree*
Sigillum Salomonis	Salomon's *Seal*
Sylibum	*Lady Thiſtle*
Siligo	*White-wheat*
Siliqua arbor	*Carob-tree*
Symphytum	*Comfrey*
Sinapi	*Muſtard*
Sion	*Water-Parſnip*
Syringa	*Pipe-tree*
Siſer	*Skirrets*
Siſon	*Baſt. Stone-Parſly*
Syſimbrium	*Water-mint*
Syſirinchium	*Spaniſh Nut*
Smyrnium	*Alexanders*
Solanum	*Night-ſhade*
Soldanella	*Sea Bind-weed*
Sonchus	*Sow-thiſtle*
Sophia Chirurg.	*Flax-weed*
Sparganium	*Bur-reed*
Spartium	Spaniſh *Broom*
Spartum	*Mat-weed*
Spatula fœtida	*Stinking Gladden*
Sphacelus	*Wood-Sage*
Speculum Veneris	Venus *Looking-glaſs*
Spelta	*Spelt*
Spergula	*Spurry*
Sphondylium	*Cow-Parſnip*
Spinachia	*Spinache*
Spiræa Theop.	*Spik'd Willow*
Spongia	*Spunge*
Squinanthum	*Camel's-Hay*
Stœbe Argent.	*Silver Knap-weed*
Succiſa	*Devil's Bit*

T.

Tabacum	*Tobacco*
Tanacetum	*Tanſy*
Taxus	*Yew-tree*
Tartonraire	*Tartonraire*
Telephium	*Orpine*
Terræ Glandes	*Peaſe-earth Nut*
Tetragonia	*Spindle-tree*
Teucrium	*Tree-Germander*
Thalyctrum	*Meadow-Rue*
Thapſus barb.	*Mullein*
Thlaſpi	*Treacle-Muſtard*
Thymbra	*Savory*
Thymus	*Thyme*
Thus	*Frankincenſe*
Tinus	*Wild Bay*
Typha	*Cat's-Tail*
Tithymalus	*Spurge*
Tordylion	*Hart's-wort*
Tormentilla	*Tormentil*
Tota Bona	Engliſh *Mercury*
Trachelium	*Throat-wort*

Index Plantarum.

FINIS.